Jahn Jahrb. XI; 303 Dübner
Heidelberg. Jahrb. 1829 S. 1205 // G. Herman.

DE ARISTOPHANIS PLUTO

DISSERTATIO

QUAM AD CONSEQUENDOS AB ILLUSTRI UNIVERSITATIS FRIDERICIAE GUILELMIAE RHEN. PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

SCRIPSIT

FRANCISCUS RITTER

VESTFALUS

SEMINARII REGII PHILOLOGICI IN UNIVERSITATE RHENANA SODALIS ORDINARIUS.

BONNAE AD RHENUM

APUD HABICHTIUM.

MDCCCXXVIII.

VIRO PERILLUSTRI

ATQUE EXIMIO

JO. GUIL. SUEVERNO

S. P.

Primitias has meorum antiquitatis studiorum quod deferre ad te, Vir Perillustris, ausus sim, non sine metu quodam praevideo fore ut tibi fortasse mirum videatur, numque hoc non tam summae, qua teneor, tui observantiae et admirationi, quam importunae confidentiae

tu tribuendum putares, diu multumque ipse dubitavi. Nam si mecum considero, qualis et quanta sit vis tui ingenii, quanta tuae eruditionis praestantia, profecto, dum tuo nomine tenuem hanc oppellam inscribere conor, non multum abest, quin parum modestus mihi ipse esse videar: sin expendo, ut praeclarus sit animi candor tui, ut spectata humanitas, quam in te multos, quorum summa apud me debet esse auctoritas, suspicere et amare intelligo, ad idem audendum haud tamen minus impulsum me sentio. Quanquam quae me sollicitabat religio, ne inverecundiae reprehensionem incurrerem, animi studium certe vicisset, ni, qui et te maximi facit, et oculis mihi est carior, Heinrichius, vir praestantissimus, omnem talem dubitationem amovisset, crebro is adhortatus, quanta tu animi benevolentia quot probos homines tibi a longo inde tempore obligaris, et vero oblata tuis manibus alia ex hac sede Musarum acceperis prius specimina. Iam vero hanc scriptionem cur soli tibi sacram esse cuperem, tribus verbis dicentem

me audias quaeso. Nam ex quo comicorum splendissimum sidus illud Gratiarumque illae deliciae potissimum me delectarunt, neminem ex recentioribus huius poetae interpretibus doctius te atque ingeniosius et penetravisse Aristophanem et illustravisse vidi. Quis enim pariter ac tu antiquae comoediae naturam et quasi χαρακτῆρα indagavit? Aristophanis tu virtutes ac singularem eius artem felicissime omnium aperuisti; cumque nobilissimas illas fabulas, Nubes et Aves, ita sis interpretatus, ut nunc demum comicorum summo dignae istae videantur; cum in libro, quem de Senecta nuper scripsisti, documento perinsigni docueris, quomodo illustrari ac prope instaurari fabulae possint deperditae: veram et certissimam commonstrasti tendentibus viam, qua comicae Musae praestantiam atque illecebras indagare, indagatas percipere plane possint. Itaque quoties Aristophanem intelligere recte et antiquae comoediae vim haud obscure perspicere mihi videbar, eius rei te mihi auctorem et praeceptorem esse semper

existimavi. Quamobrem te, cui in hoc quidem genere fere omnia debere me fateor, rogo etiam atque etiam, munus hoc sane exiguum, sed gratissimo animo oblatum, ne aspernari velis; in quo si quid vel persona tua vel doctrina minus dignum iudicabitur, ea culpa ut erit mea, qui propter ingenii atque eruditionis inopiam, quamvis praeclaro duce, a via recta aberraverim, ita non me deterrebit, ne in eodem, quo nunc ceciderim, curriculo aliquando consistere et efficere quicquam studeam, quod fortasse sit magis dignum exemplo tuo et suffragio.

Scripsi Bonnae, mense Julio, MDCCCXXVIII.

FRANCISCUS RITTER.

INDEX CAPITUM.

I.

De Pluti argumento.

Ex omnibus Aristophanis comoediis inveniri vix ulla potest, quae Pluto integrior atque emendatior post longam per barbariem migrationem ad nostra tempora pervenerit, quaeque diligentius ab interpretibus criticisque tum antiquis tum recentioribus illustrata et mendis purgata sit. Cuius rei causa posita est partim in librorum manu scriptorum qui Plutum exhibent praestantia, partim in ipsius fabulae facilitate. Nam quamvis in ea reperiantur quae sine interiore rei publicae Atheniensium notitia perspici non possunt, plurima tamen ad generalem vitae et morum descriptionem referuntur et propterea vel ab indoctis intelliguntur: carmina chorica adeo sunt concisa, expedita, simplicia, ut corruptelis non facile locum praeberent. Quae cum ita sint, sic iudico, post Kusteri, Bentleii, Hemsterhusii, Brunckii, Porsonis, Dobraei et Guilelmi Dindorfii operam, ad explicandam et perpoliendam hanc fabulam diligentissime collatam, novum eius emendatorem ita tantum cum laude elaboraturum esse, si praestantissimum librum Ravennatem Invernizio paullo

1

accuratius denuo inspexerit, eoque ad consilium vocato Plutum nonnullis in locis emendaverit, et in verbis sententiisque explanandis pauca suppleverit. Sed restant alia et ea quidem ad totam fabulam recte intelligendam vel maxime necessaria, de quibus aut omnino perverse aut parum recte hucusque disputatum est. Itaque haec fuit instituti mei ratio, ut quae falso exposita aut omnino nondum tradita viderem ab aliis, aut rectius aut de integro hoc libro docerentur. Quae ut dilucidius a me explicari et melius ab aliis intelligi possint, res in Pluto actas, h. e. fabulae argumentum, paucis describam.

Senex Chremylus, qui consuluit Apollinis oraculum, utrum filius suus ad impetrandam feliciorem vitae conditionem corruptos aequalium mores imitari an patris integritatem servare debeat, inde cum servo Carione redit, accepto dei responso, ut, in quem primum inciderit, eum sequeretur. Incidit autem in senem sordidum, caecum et omnibus corporis incommodis afflictum, quem magno cum gaudio Plutum esse comperit, cuique se visum restituturum esse pollicetur. Eius incepti ut participes fiant amici, ad illos victum in agris moleste quaerentes mittit servum Carionem, et ipse cum Pluto domum suam intrat 1—252. Servus cum rusticis illis in orchestram progreditur, eosque varie illusos ad domini domum arcessit 253—321. Procedit Chremylus, sociisque salutatis et nova re amico Blepsidemo exposita, ad visum Pluto restituendum se accingit; Paupertatem propter istum conatum indignabundam retrudit, deumque caecum ipse cum servo et Blepsidemo ad Aesculapii templum deducit, in quo ille

incubans oculorum lumine donaretur 322—626. Redit servus et felicissimum rei eventum rusticis et dominae renunciat 627—770. Quo facto Plutus caecitate liberatus ipse in scenam prodit et inde domum Chremyli intrat 771—881. Iam Cario enarrat choro, quae bona novus deus aedibus domini intulerit 802—822. Tum vir iustus, a Pluto non amplius caeco dives factus, ad gratias deo munifico agendas accedit et cum Chremylo foras veniente sermones confert: sycophanta autem, ab eodem deo ad paupertatem redactus, multum queritur et lamentatur, qui ut male tractatus abigitur, ita vir iustus a Chremylo intus ad Plutum deducitur 823—958. Chremylus paullo post rursus in scenam procedit, cum vetula quadam viroque iuvene iocatur, eosque ad Plutum tendentes comitatur 965—996. Sequitur Carionis cum Mercurio atque Chremyli cum sacerdote colloquium, et omnes eo tandem consentiunt, Plutum in Minervae *ὀπισθόδομον* deducendum esse. Solemni pompa, cui se chorus adiungit, fabula finitur.

Iam primum, cum Aristophanes in omnibus suis fabulis aequalium mores corruptos notaverit, videamus, quaenam vitia in hac fabula ille descripserit, praesertim cum ea de re multa falso tradantur. Nam lege mihi Graeci argumenti auctorem haec affirmantem, rideri Athenienses iniustis artibus locupletes *); aut Mansonem in Supplementis Sulzerianis T. VII. p. 134.) dicentem, hoc egisse poetam, ut doceret fortunam te-

---

*) *Βουλόμενος Ἀριστοφάνης σκῶψαι τοὺς Ἀθηναίους ἀδικίᾳ καὶ συκοφαντίᾳ καὶ τοῖς τοιούτοις συνόντας, καὶ διὰ τοῦτο πλουτοῦντας, πλάττει πρεσβύτην τινὰ Χρεμύλον τοὔνομα, κ. τ. λ.*

mere bona sua distribuere, et mutatum in melius omnia iri, si iustior ipsa esset; aut Fischerum aliosque his simillima afferentes. Sed omnes illi, qui hanc fabulam ab Aristophane eo consilio scriptam et doctam esse statuunt, ut rideret Athenienses malis artibus divites, simulque ostenderet fore ut res multo aliter caderet, si divitiae iustius unicuique a fortuna non caeca tribuerentur, isti inquam, parum honorifice de nostro poeta sentiunt, quem existimant cecinisse illam hominum ex misella plebecula cantilenam, h. e. de bonis a deo s. fortuna sine ulla ratione inter homines dispartitis questum esse. Profecto non is erat Aristophanes, qui fortunas aliis forte obiectas lividus suspiceret, sed qui ipse homines invidiosos acerbe notaret. Illi porro Paupertatis interventum (415-609.) prorsus supervacaneum iudicent necesse est (conf. Beck. Comm. in Aristoph. T. III. p. 11. not. p.), cuius sermones adeo cumulati sunt, tam severe (507-516. 522-534. 550-554.) et ad persuadendum apte (571. 600.) pronunciati, ut illi non ridendi causa immixti, sed ad illustrandum poetae et fabulae consilium allati videri debeant. Omnino illa insanam esse divitiarum cupiditatem ostendit eamque optimam vitae conditionem, quae neque rebus abundet, neque ad honeste vivendum necessariis egeat; atque hoc ipsum ut civibus suis probaret, poetam egisse melius apparebit, si totius fabulae actionem consideraverimus. Nam eo vel maxime errarunt isti interpretes, quod Chremyli consilium et conatum Pluto visum restituendi absurdum esse et insanis tantum hominibus dignum non animadverterunt, idque inceptum ut vanissimum a poeta ipso describi non solum multis in

locis illius Chremyli cum Paupertate colloquii, sed praecipue in lepidissima de istius conatus eventu narratione (653—763.), iidem non perpenderunt. Sed ipsius Chremyli, quem plerique pro viro iustissimo accipiunt, ingenium satis est ambiguum et magis inverecunde iactantis quam viri iustitia excellentis. Ille qui de continentia sua et morum integritate omnia magna locutus erat (28. 61. 104. 105. 245-248.), idem profiteri non erubescit se pecuniam magis diligere quam unicum suum filium (251.), neque Plutum admonere veretur, ut domum suam opibus sive iuste sive iniuste impleat (232. 233.), quo loco interpretes Chremylum pro viro iustissimo accipientes multum et frustra se torserunt. Perversi Chremyli mores describuntur praeterea vv. 507. 508., occaecata eius lucri cupiditas ne certissimas quidem contra dicentis Paupertatis accipit rationes (571—573. 598—600.). Item Blepsidemus Chremyli socius et adiutor homo est ineptissimus (lege prae ceteris vv. 613—618.), et amici agrestes ex plebecula sunt pauperrima (218-220. 223-224. 253-254. 263. 282-283. 627—628.), lucrique studio acerrimo correpti (328—331.). Cum igitur totum hoc inceptum salsissime deriserit poeta et tamquam hominibus absurdis et insanis dignum descripserit: omnis vis comica in istam insanam ditescendi cupiditatem et ineptum lucri studium cadit. Sed Aristophanis ingenium cum tam fuerit varium et nullis terminis contentum, ad hoc propositum non omnia referre cogebatur: poterat obiter illudere eos, qui iniustis artibus divitias adepti essent (502-504.); poterat obiter perstringere civium in iudiciis contendendi et litium diiudicanda-

rum cupiditatem (277. sq. 972. (973.) 1166. sq.), calumniandi consuetudinem (31. 850—950.), et quae sunt id genus plura. Sed aliud praeterea docere poetae propositum erat, idque a nullo interpretum perspectum, quamvis satis aperte in fabulae exitu indicatum. Nam, ecce, Chremylus ille, qui ante felicem conatus sui successum habendi cupidissimus et contra sapientissime monita obstinatissimus fuerat, in fine fabulae sordida pecuniae cupiditate subito liberatus et sui commodi prorsus securus Plutum in Minervae ὀπισθόδομον, s. in civitatis thesaurum, transferri iubet, consentientibus ceteris omnibus aeque mutatis (1191—1209.). Actorum exemplum sequitur chorus, et ipse sui oblitus et civitatis fortunatam conditionem cantibus celebrare paratus. Quemadmodum igitur in nonnullis aliis Aristophanis fabulis accidere videmus, ut sub comoediae finem chorus atque interdum una vel altera personarum in scena agentium errore suo liberata et quasi divina sapientia afflata, quid optimum factu sit, perspiciat, et suo commodo posthabito civitatis et communi omnium utilitati serviens ista vitia effugiat, quae cum in ipso tum in omnibus eius similibus notata erant: sic quoque in Pluto homo perversus atque avarus subito civis utilissimus evadit factoque ostendit, id quod poeta docere volebat, non id esse magnopere et curiose circumspiciendum, ut singulorum hominum divitiae cumulentur, sed potius ut universa res publica pecuniis et opulentia instructa sit et mactata.

II.

De Pluto mediae comoediae fabulis annumeranda.

Vidimus Aristophanem in Pluto quemadmodum in ceteris suis fabulis aequalium vitia descripsisse, eosque ad ista fugienda exhortatum esse. Nihilominus multum differre Plutum ab aliis nostri poetae comoediis et antiqui grammatici senserunt et recentiores artium existimatores significarunt. De hac igitur discrepantia iam explicatius dicendum est, quod quidem ita instituemus, ut argumenta ceterarum comoediarum Aristophanis paucis adumbrata cum Pluto conferamus.

In Acharnensibus exagitatur perversa Atheniensium belli Peloponnesiaci gerendi cupiditas. Belli cupidos acerrimus bellator Lamachus repraesentat, pacis amantes Dicaeopolis, cuius persona, quamvis nomen fictum sit, magna Atheniensium pars pacis studiosa comprehenditur. In Equitibus vi comica vere horrenda Cleonis et demagogorum effrenata audacia magnaque incommoda inde in rem publicam redundantia describuntur. In Nubibus perniciosae Socratis sophistarumque artes notantur. In Vespis altercandi et iudicandi in iudiciis studium Cleone auctore excitatum perstringitur; in Pace et Lysistrata belli continuandi studium et pacis odium; in Avibus Atheniensium spes vanae, magna et supra modum difficilia tentandi cupiditas, eorumque expeditio in Siciliam

suscepta *). In **Thesmophoriazusis** et **Ranis** verae poesis corruptionem, Euripide potissimum auctore invectam, insectatur Aristophanes; in **Ecclesiazusis** denique perversum concionandi et rem publicam administrandi morem. Apparet igitur ceteras Aristophanis fabulas omnes superstructas esse rebus ex Atheniensium re publica vitaque communi delectis, in iis totas versari, earumque imaginem quamvis mire detortam proponere. Id secus est in Pluto. Notantur quidem in ea Athenienses et Atheniensium vitia, sed eiusmodi vitia, quibus cum omnibus fere temporibus multi populi obstricti sint, tum illa aetate non Athenienses solos, sed omnes Graecos eodem avaritiae morbo laborasse infra videbimus. Iam obscurum esse non potest, quid significaverit Grammaticus Kusteri p. XIII., Lips. p. XXXIII. his verbis: *Καὶ γὰρ τὸ τούτου δρᾶμα ὁ Πλοῦτος νεωτερίζει κατὰ τὸ πλάσμα, τήν τε γὰρ ὑπόθεσιν οὐκ ἀληθῆ ἔχει.* **Hypothesis non vera** talis est, quae non in singularibus certisque rebus ex ipsa Atheniensium re publica et vita sumtis contineatur.

Neque vero odiosa et nefaria pecuniae parandae artificia, sed stulta atque vana divitiarum adipiscendarum studia in Pluto ridentur. Quapropter magnam habet haec fabula hilaritatem et pauca tantum eius acerbitatis, quae propria erat comoediae antiquae, vestigia. Hoc inde factum videtur, quod Aristophanes magis in fabula ipsa (*μύθῳ* s. *ὑποθέσει*) a se excogitata versatur,

---

*) Vide Süverni librum nobilissimum de Avibus nuper editum.

quam rerum veritatem respicit, secutus mediae comoediae morem, quae totam suam operam ad ὑποθέσεις, h. e. ad generalem vitae et morum descriptionem, conferebat. Conf. Gramm. Kusteri p. XII., Lips. p. XXX. Τῆς δὲ μέσης κωμῳδίας δύο ποιηταί. — κατασχολοῦνται περὶ τὰς ὑποθέσεις. de quo loco cf. Meinekii Quaest. Scen. specim. II. p. 4. Haec rerum veritas neglecta est etiam in hominibus nominatim descriptis: nam in aliis nostri poetae comoediis is, quem ille maxime obstrictum iudicaret vitiis per fabulam exagitandis, αὐτοπροσώπως inducitur, aut saltem acerbe perstringitur; in Acharnensibus et Pace Lamachus, in Equitibus et Vespis Cleo, in Nubibus Socrates et Alcibiades*), in Avibus idem Alcibiades cum Gorgia**), in Thesmophoriazusis et Ranis Euripides. In Pluto quidem, ut infra videbimus, nominatim homines describuntur, sed non ita, ut ea vitia, quae in tota fabula exagitantur, in istis praecipue notentur. Quapropter neque αὐτοπροσώπως quisquam inducitur, neque primariae huius fabulae personae certis hominibus tum viventibus simillimae descriptae sunt, id quod significavit Graeci argumenti auctor (Beck. Commentar. p. 6.): Ἰστέον δὲ ὅτι τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα πεπλασμένα εἰσὶ παρὰ τοῦ ποιητοῦ. Qua in re mediae Aristophanes comoediae morem sequitur, cuius emendatores neminem αὐτοπροσώπως perstringebant teste Platonio Kusteri p. XI.

*) Lege Süverni librum notissimum de Aristophanis Nubibus.

**) Lege eiusdem viri praestantissimi dissertationem de Aristophanis Avibus.

Οὐ μὴν οὐδὲ τὰ προσωπεῖα ὁμοιοτρόπως τοῖς ἐν τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ κατεσκευασμένοις εἰσῆγον· ἐν μὲν γὰρ τῇ παλαιᾷ εἴκαζον τὰ προσωπεῖα τοῖς κωμῳδουμένοις.

Quemadmodum rebus ipsis media comoedia ab antiqua differebat, sic quoque dicendi genus in ea mutatum est. Cum enim antiqua omnes dicendi modos mira varietate adhiberet, modo humillima socci oratione incedere, modo altissimo tragicorum et lyricorum spiritu ferri soleret: media ubique cultum et temperatum orationis genus adoptabat. Cf. Grammaticus Kusteri p. XII., Lips. XXX. *Λογικὰς ἔχουσι* (mediae comoediae poetae) *τὰς ἀρετάς, ὥστε σπάνιον ποιητικὸν εἶναι χαρακτῆρα παρ' αὐτοῖς* de quo loco erudite disputantem vide Meinekium Quaest. Scen. II. p. 4. Idem hoc de Pluto dici potest. Sobrium, tranquillum et aequabile genus dicendi per totam hanc fabulam reperitur, et sicubi versus altioris spiritus ninveniuntur, illi ad ridendos tragicos immixti sunt. Sed de his infra dicetur; nunc quidem, postquam fabulae argumentum et dicendi genus mediae comodiae *χαρακτῆρα* prae se ferre demonstratum est, quae fuerint chori in Pluto et media comoedia munera, videamus.

Primum omnium apparet saepius in hac fabula iustam desiderari temporum atque rerum consecutionem, et quidem tribus potissimum in locis, post vv. 626. 801. 958.(959.) Nam servus Cario, qui post versum 626. cum Pluto, Chremylo et Blepsidemo ad Aesculapii templum abierat, statim reversus (627.) narrat, quomodo Plutum, ad mare deductum, aqua marina lavarint, inde ad Aesculapii templum devenerint; per satis longum tempus ibi incubuerint, quae ipse ridicule

fecerit, quod Neoclidi acciderit, quomodo Pluto oculorum lumen restitutum sit, qui denique circa deum caecitate liberatum fuerit hominum concursus. Secundus est locus post v. 801., ubi Plutus scena relicta cum ceteris actoribus domum Chremyli ingreditur: sed, ecce, statim versu sequenti prodit servus, bona admiranda, quae novus deus attulerit, enumerans, additque dominum suum, qui modo scenam reliquerat, occupatum esse in bove immolando, hirco et ariete, seque fumo inde exorto foras pulsum esse. Tertius est locus post v. 958. (959.), ubi Chremylus a scena in domum suam discedit, virum iustum ad deum deducturus: sed nullo fere temporis spatio interiecto post sex versus (v. 965. sive 966.) rursus comparet in scena. Cum igitur his in locis (et idem valet de aliis mox indicandis) iusta temporum et rerum successio s. fabulae *οἰκονομία*, sublata ac perturbata videatur: exponere conabimur, qua ratione hoc incommodum Aristophanes evitaverit. De illo igitur, quod post v. 626. offendere dixi, scholiastes haec affert ad v. 619. *Ἐπὶ τῷ τέλει* (h. e. post. v. 626.) *παράγραφος καὶ ἑξῆς τὸ Χοροῦ· κἀνταῦθα γὰρ χορὸν ὤφειλε θεῖναι καὶ διατρίψαι μικρὸν, ἄχρις ἂν τις ἐξ Ἀσκληπίου ἀναστρέψει τὴν τοῦ Πλούτου ἀπαγγέλλων ἀνάβλεψιν.* Eadem fere in scholiis de aliis duobus locis leguntur. Describit autem his verbis scholiastes Pluti fabulae exemplar grammaticorum signis notatum: grammaticorum enim erant paragraphus, coronis, dipla: et inde sequitur illud *Χοροῦ* non poetae sed grammaticis deberi. Idem additamentum legitur in tribus editionibus antiquissimis, et quidem non solum in hoc loco, sed etiam duobus aliis modo indicatis (cf. Dobraeus), idque nihil aliud significare postest

nisi *τὰ τοῦ χοροῦ* (cf. Dobraeus ad v. 252.), h. e. chori carmina s. cantica chorica. Quae cum ita sint, quaeritur, num fortasse illa cantica iniquitate temporum interciderint: sed antequam ea de re accuratius disputemus, audiamus alium de his carminibus testem, Anonymum Kusteri p. XIV., Lips. p. XXXVIII. *Πάλιν δὲ, ἐκλελοιπότος καὶ τοῦ χορηγεῖν, τὸν Πλοῦτον γράψας, εἰς τὸ διαναπαύεσθαι τὰ σκηνικὰ πρόσωπα καὶ μετεσκευάσθαι ἐπιγράφει Χοροῦ, φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις ἃ καὶ δρῶμεν τοὺς νέους ἐπιγράφοντας οὕτω ζήλῳ Ἀριστοφάνους.* Vocem *Χοροῦ* Portus ex coniectura mutavit in *Χορούς* quae mutatio, minime necessaria et repudiata etiam a Dobraeo ad v. 252., vel eo refellitur, quod tres illae editiones antiquissimae non *Χοροὶ*, sed *Χοροῦ* exhibent, et quod hoc posterius tantum a scholiastis agnoscitur. Illud *Χοροῦ* igitur cum Dobraeo per *τὰ τοῦ χοροῦ* interpretamur, et *ἐκείνοις* pro dativo neutrius generis accipimus, quo facto ad praecedens *Χοροῦ* facillime *τὰ* cogitatione suppletur. Quod autem Anonymus dicit, ab Aristophane *Χοροῦ* adscriptum esse (*ἐπιγράφει Χοροῦ*), eo nihil aliud indicatur, nisi chorica carmina nonnullis in locis huic fabulae adiecta, non autem ipsam hanc vocem a poeta adscriptam fuisse, quae, ut modo vidimus, grammaticis debetur. Haec obiter. Multo est gravius, quod hoc loco edocemur, cur poeta veterem et solitum carmina chorica scribendi morem deseruerit; qua de causa ad nos illa non pervenerint; quomodo tandem cantica illa novo more composita a choricis carminibus quae proprie appellantur diversa fuerint. De singulis ordine dicam.

Scripsit Aristophanes Plutum *πάλιν*, h. e. iterum

s. secundum, cum sublatum esset choregorum munus; πάλιν enim, ut interpunctione indicavi, non ad ἐκλελοιπότος, sed ad γράψας refero, id quod sermonis lex non prohibet et vero res postulat. Nam si Anonymus, postquam in praecedentibus narravit choregorum munere sublato Cocalum et Aeolosicona fabulas ab Aristophane scriptas esse, ita pergeret: Sed cum iterum etiam choregorum munus deficeret, Plutum scripsit: nonne his verbis significaret Plutum scriptam esse post Cocalum et Aeolosicona? At hoc repugnat luculento testimonio in Argumento ad Plutum servato, quo has fabulas post Plutum ab Aristophanis filio Ararote doctas esse traditur*). Accedit, quod particula καὶ prorsus inepte adiecta esset. Quamobrem ita verba interpretor: Iterum, deficiente item choregorum munere, Plutum scribens adscripsit cantica chori, ut actores requiescere et apparatus scenicus mutari possent, h. e. ad tuendam fabulae οἰκονομίαν, iustamque rerum et temporum successionem.

Quaesiverit aliquis, quanam ratione factum sit, ut, tota fabula per omnes partes integerrime servata, haec cantica interciderint. Sed, si quid hac in re video, vere nunquam interciderunt. Cum enim propter solam fabulae οἰκονομίαν, ideoque forsitan minus artificiose elaborata adiicerentur: suspicor poetam ea, non ut domi

*) Τελευταίαν δὲ διδάξας τὴν κωμῳδίαν ταύτην ἐπὶ τῷ ἰδίῳ ὀνόματι, καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ συστῆσαι Ἀραρότα τοῖς θεαταῖς βουλόμενος, τὰ ὑπόλοιπα δύο δι' ἐκείνου καθῆκε, Κώκαλον καὶ Αἰολοσίκωνα.

legerentur, sed ut in orchestra canerentur, composuisse, solis choreutis tradidisse, non inseruisse exemplaribus in publicum emittendis.

Ex iis, quae hucusque disputata sunt, apparet magna horum carminum ab antiquis chori canticis diversitas. Nam antiqua illa cum toto fabulae argumento artissime coniuncta sunt, haec prorsus ab eo diversa esse possunt; illis magna et saepe vel primaria comoediae pars continetur, haec solum adhibentur, ubi propter fabulae οἰκονομίαν requiruntur.

Neque vero mirandum est Plutum, sublata choregorum munere actam, habuisse chori cantica, quia cum choregia non simul omnes chori partes e comoedia sublatas esse satis certum videtur. Nam choregiam defecisse quid est aliud, quam neminem, divitiis pollentem, a tribu sua electum et coactum esse, ut sumtus pecuniamque ad choreutas docendos, alendos, remunerandos et omni scenico apparatu ornandos subministraret: at vero si quis sua sponte illud munus obire vellet, num adeo morosos Athenienses fuisse putemus, ut hoc prohiberent? Quid, si poeta ipse vel eius amici hos sumtus praebere vellent, repudiatosne eos existimemus? Cum igitur vel a singulorum hominum arbitrio penderet, an poeta chorum acciperet, nec ne, vel ipse suo aere choreutas parare sibi deberet: huic omnibus modis curandum erat, ut sumtus maiores vitarentur. Hi autem, quos antea immensam argenti vim requisivisse constat (conf. Boeckh. Oecon. Athen. T. I. p. 489—493.), tribus potissimum modis minui poterant. Primum choreutarum praeparandi se et commentandi tempus, per quod choregus alimenta pretiosa

eis praebere et mercedem solvere debebat (cf. Boeckh. l. l. p. 489.), minuendum erat: quod ut fieri posset, poeta cantica fabulae et minus artificiose componere et brevia facere cogebatur. Tum autem ut talia carmina canerentur, pristinus iustusque choreutarum numerus non amplius requirebatur: pro viginti quatuor personis duodecim vel octo sufficiebant. Cum denique illa non tantum artis postularent facilique opera et disci et recitari possent: ipsi choreutae parvo haud dubie pretio parari poterant, et si forte solertissimi quique multa peterent, homines vel parum eminentes cantu et saltandi facultate istas partes satis honeste sustinere poterant. Jam apparet, credo, quomodo deficiente choregia chori partes in Pluto esse potuerint.

Sed antequam plura de illis carminibus disseram, ultima Anonymi verba supra transcripta examinabo, videlicet: *φθεγγόμενος ἐν ἐκείνοις* (in illis chori canticis) *ἃ καὶ ὁρῶμεν τοὺς νέους ἐπιγράφοντας οὕτω ζήλῳ Ἀριστοφάνους.* *Νέοι* illi sunt novae quae dicitur comoediae scriptores, Menander potissimum et Philemo, de quibus in praecedentibus ab Anonymo dictum erat; qui quidem cum hunc interponendi cantica morem ab Aristophane inventum imitarentur, dubitari nequit idem interdum saltem factum esse a mediae comoediae poetis, qui multo minus quam illi ab Aristophanis et antiquorum poetarum more recedebant. In omnibus autem mediae et novae comoediae fabulis eiusmodi cantica fuisse non est verisimile, quoniam Romani, qui imitantur novae et mediae comoediae poetas, ab hoc more prorsus abstinuere; quae enim in eorum fabulis reperiuntur cantica, ea ab his, de quibus nos disputamus,

prorsus diversa sunt (cf. Hermanni de cantico in Romanorum fabulis scenicis dissert. in Opuscul. vol. I. p. 290—307.), et illud, quod in nonnullis Plauti locis (Pseudol. I. 5. 160.) legitur:

Tibicen vos interea hic delectaverit,

(cf. Stich. V. 5. et 6.) id ita tantum cum his Pluti canticis comparari potest, quod ille tibicinis ludus eodem modo ad tuendam fabulae oeconomiam adhibebatur. Huc accedit aliud argumentum: namque Anonymus, cum in praecedentibus de Cocalo et Aeolosicone exposuisset, et tum ea, quae transcripsimus, de Pluto narrare pergat, illis certe fabulis haec carmina defuisse non obscure indicavit. Sed Cocalus et Aeolosico ad mediam comoediam referuntur (cf. Platon. Kusteri p. XI.), easque fabulas imitatus est Menander (cf. Anonymus Kusteri p. XIV.). Cum actus et aulaea inventa essent, ista cantica paullatim obmutuerunt: nam per id tempus, quod in Pluto chorus canendo terit, aulaea tolli poterant. Sed ad Plutum revertar.

Eo igitur quod cantica illa, propter fabulae oeconomiam facta, post versus 626. 801. 958. (959.) canebantur, iusta temporis rerumque agendarum successio servabatur. Sed praeterea aliis etiam nostrae fabulae locis eiusmodi carmina inserta fuisse traditur, quos quidem breviter persecuturi hoc tenebimus, neque grammaticos antiquiores neque eos, qui posthac hos exscripserunt, ea legisse; cumque Grammatici, suo maxime iudicio canticorum locos indicantes, facile ea in re errare possent, tum demum scholiastis fides habenda erit, si eorum testimonia argumentis ex fabulae oeconomia petitis confirmantur. Legitur in codice Cantab. 2.

(cf. Dobraeus) post versum 252. *Χοροῦ*, et scholiasta (Thomas Magister) ad v. 1. scribit: *Ἐπὶ δὲ τῷ τέλει*, h. e. post. v. 252., *κορωνὶς καὶ ἑξῆς τὸ Χοροῦ· ὤφειλε γὰρ χορὸν θεῖναι καὶ διατρίψαι μικρὸν, ἄχρις ἂν ὁ Καρίων συμμίξῃ τοῖς γέρουσι.* Dicere est difficile, quomodo Thomas Magister rem scenicam sibi cogitaverit, et quaerere inutile, cum is, ut ex sequentibus apparebit, in errore versetur. Orchestra theatri, cum scena per scalas iuncta, in extremis partibus, dextra et sinistra, arcu (*ἀψῖδι*) instructa erat, per quem chorus ingrederetur; chorus ab urbe veniens, h. e. ex civibus urbanis compositus, per sinistrum arcum, chorus rure accedens, h. e. ex rusticis constans, per dextrum in orchestram intrabat. Conf. Grammaticus Kusteri p. XIV., Lips. XXXVIII. Cario igitur, a domino suo missus ad rusticos rure advocandos (223. 224.), per scalas illas in orchestram descendit et per dextrum arcum (*ἀψῖδα*) discedit, rus profecturus, ruricolas arcessiturus. Iam aliter fieri non poterat, nisi ut post colloquium Chremyli, cum Pluto (230—251.) habitum, chorus cum Carione per dextram *ἀψῖδα* in orchestram intraret statimque illos illudere inciperet. Res igitur ipsa docet illa cantica non modo non necessaria, sed ne apta quidem fuisse. Post v. 321. Brunckius scripsit, *Χορός. (λείπει κομμάτιον τοῦ χοροῦ)*, quo indicavit hoc etiam loco talia carmina fuisse. Brunckii sententia quamvis neque libris veteribusque editionibus comprobetur, neque Invernizii additamento *) confir-

*) Invernizius post v. 321. scripsit *Χορός*, quod vocabulum ipsa forma prodit se esse infantem Invernizii, non libri Ravennatis scripturam. Scribendum erat *Χοροῦ*.

metur, tamen verissimam esse eam facile intelligitur. Cario (316—321.) a senibus domum Chremyli discessurus, hoc illis suadet (316. 317.):

ἀλλ' εἶά νυν τῶν σκωμμάτων ἀπαλλαγέντες ἤδη
ὑμεῖς ἐπ' ἄλλ' εἶδος τρέπεσθ', —

quibus in versibus cum sibi opponantur σκώμματα et ἄλλ' εἶδος, certissima videtur et aliorum et Beckii interpretatio, videlicet verbis ἄλλ' εἶδος significari aliud carminum genus atque ab illo ludicro quod antecedit diversum. Alterum argumentum ipsa scenae constructio offert. Cum enim tota fabula agatur ante Chremyli domum, in quam haud dubie una tantum ianua ducebat, qui fieri poterat, ut uno tempore per easdem fores servus intraret, quibus egressus Chremylus in scenam procederet? Itaque hoc incommodum ut evitaretur, interponendum erat canticum. Alius est locus post v. 770. Cario postquam herae suae exposuit, quomodo visus Pluto restitutus fuerit, sese huic aliisque iam iam adventuris obviam ire velle dicit. Ut ne igitur, dum hoc fieret, spectatores otiosi essent, chori canticum interponendum erat, quod hic paucis versibus absolutum fuisse, atque laetos clamores deique Aesculapii laudes continuisse probabiliter aliquis coniecerit. Chori canticum huic loco insertum fuisse et praestantissimus liber Ravennas tresque antiquissimae editiones, exhibentes ΚΟΜΜΑΤΙΟΝ ΧΟΡΟΥ (cf. Dobr.), ostendunt, et scholiastes ad v. 641. confirmat. Sed eidem scholiastae, post v. 822. (823.) insertum fuisse chori canticum ad v. 802. affirmanti, nullam habeo fidem, cum eius testimonium neque libris nec veteribus editionibus neque fabulae oeconomia comprobetur.

Ultimus est locus post v. 1096. (1097.), ubi tres antiquissimae editiones Χοροῦ exhibent, idque scholiastes ad v. 1043. agnoscit. Post v. 1096. Chremylus, vir iuvenis et anus scena relicta intus ad Plutum ierunt. Sed iisdem foribus, per quas illi intraverant, a Mercurio pulsatis Cario egreditur; utrumque eodem tempore fieri apte non poterat: itaque interponendum erat canticum.

Praeter haec chori cantica solis choreutis, ut coniecimus, scripta, et ad tuendam fabulae oeconomiam interposita, alia etiam chori carmina vel sublata choregia admitti poterant, dummodo ad perdiscendum et recitandum essent facilia. Eius generis sunt strophae quatuor (290—315.), quas cum cantu et saltatione recitatas esse dubitari nequit. Sed quoniam fuerunt, qui affirmarent hos versus cum omnibus chori partibus ex Pluto priore in nostram Pluti editionem illatos esse a grammatico quodam, et Plutum posteriorem, quam nos, ut infra docebo, legimus, choro prorsus caruisse (lege Brunckium ad v. 960. 115., Petit Legg. Att. pag. 151. sq.): iam hoc loco, ne vacillare videatur nostra disputatio, paucis ostendam illos versus soli Pluto secundae vindicandos esse. Primum videamus de versibus 290—301., quorum primum (290.), tertium (292.), septimum (296.), nonum (298.) ad imitationem et derisionem Philoxeni Cytherii expressit Aristophanes, testante scholiasta. Philoxenus iste, dithyramborum scriptor, vixit et floruit in aula Dionysii maioris, Syracusarum tyranni (cf. Athen. I. p. 6. e.), cuius ille iniuriam sibi factam ulturus, versibus dithyrambicis, ad idyllii dramatici similitudinem conformatis et Κύκλωψ

inscriptis (Athen. I. p. 7. a. VIII. p. 564. e.), Dionysium Cyclopis nomine, se ipsum Ulixis, et tibicinam quandam Galateae significavit *). Tyrannus Dionysius summum Syracusarum imperium occupavit Olymp. XCIII. 3. Composuit igitur Philoxenus Cyclopa suum post hoc tempus, fortasse circa Olymp. XCV. (cf. Diodor. XIV. c. 46.). Itaque Aristophanes Philoxeni Cyclopa nondum imitari atque notare poterat, cum Plutum priorem doceret, Olymp. XCII. 4., poterat vero in Pluto posteriore, quam docuit Olymp. XCVII. 4. Cum igitur stropha prima et secunda soli Pluto posteriori vindicanda sit, iam videamus, quid de tertia et quarta, s. de vv. 302 — 315., statuamus. Versibus 302 — 305. Circe amicos Philonidis Corinthi in sues mutasse dicitur, qua indicari Laidem in Sicilia natam et inde Corinthum profectam et omnes vident, et nemo collato v. 179.

ἐρᾷ δὲ Λαΐς οὐ διὰ σὲ Φιλωνίδου;

dubitare potest. Huius autem meretricis vita quamvis plurimis difficultatibus implicita sit et ineptissimis fabulis obscurata (cf. Wieland in Museo Att. tom. III. fasc. I. p. 174. sqq.), illud tamen, quod ad rem nostram facit, satis certo sciri potest, dico eius annum natalem. De eo duae circumferuntur narrationes, quarum prior Laidem in Sicilia et quidem in oppido Hyccaris natam esse tradit, eamque, cum illa urbs a Nicia caperetur Olymp. XCI. 1., servam septem annorum a Corinthio

---

*) Erudite de hoc poeta eiusque Cyclope disputavit Eichstadius in libro de Dramate Graecorum comico-satyr. p. 31—33.

quodam emtam et ab eo coniugi suaę Corinthum transmissam esse. Hanc narrationem afferunt prior scholiastes ad v. 179., Plutarchus in vita Niciae c. 15., Pausanias II. c. 2., Polemo et Timaeus Athenaei XIII. p. 588. b. c. 589. a. Quod si verum est (et sane propter testium locupletissimorum multitudinem et consensum verissimum videtur), Lais, cum Plutus prior doceretur, h. e. Olymp. XCII. 4., quatuordecim annos numerabat, neque tum ut meretrix notissima, quae aliquando Philonidis amicos turpiter tractaverit, perstringi poterat. Alterius narrationis auctor, alter scholiastes ad v. 179., ed. Lips. p. 28. vv. 18—22., tradit Laidem a tyranno Dionysio poetae Philoxeno donatam esse et cum eo Corinthum venisse. Hoc si verum est, multo etiam minus ut Corinthiacum scortum Lais rideri poterat in Pluto priore, quia tum saltem diu post Olymp. XCIII. 3. Corinthum venit. Haec igitur stropha cum secundae Pluti emendationi demum accesserit: etiam antistropha (309—315.), cum stropha artissime coniuncta, soli Pluto posteriori vindicanda est. Sed ea res ut omni dubitationi eximatur, difficultatem quandam non celabo. Scholiastes enim ad v. 179. haec scribit: *Ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδρῳ ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθῆναι ἐπὶ Διοκλέους, ὡς μήκετι αὐτῆς οὔσης*, quae verba multis corruptelis deformata Hemsterhusius hunc in modum egregie emendavit: *Ἐμφαίνει δὲ καὶ Πλάτων ἐν τῷ Παιδαρίῳ* (s. *Ἀμφιαράῳ*) *ἑπτακαιδεκάτῳ ἔτει ὕστερον διδαχθέντι ἐπὶ Φιλοκλέους, ὡς μήκετι αὐτῆς οὔσης*. Phaedro Platonis philosophi videbat Hemsterhusius in his verbis locum non esse, sed fabulam quandam Platonis comici commemorari, ideoque pro *Φαίδρῳ*

substituendum coniiciebat Παιδαρίῳ s. Ἀμφιαράῳ, sed parum feliciter; cf. Eichstad. de Dramate Gr. comico-satyr. p. 76. Meinek. Quaest. Scen. II. p. 15. 20. 26. Fabulae igitur nomen satis incertum est, sed hoc nihil facit ad rem nostram, cum cetera, quae Hemsterhusius mutavit, tam certa sint, ut magis apertorum vitiorum correctiones esse quam in coniectura posita videantur. Nam cum scholiastes dixisset Platonem commemorasse Laidem ut mortuam in fabula septemdecim annis post Dioclem docta, inepto ineptius est ἐπὶ Διοκλέους, et, cum septimo decimo post Dioclem anno archon fuerit Philocles, certo certius ἐπὶ Φιλοκλέους. Hic est igitur scholii sensus, Platonem in fabula quadam, docta illa septemdecim annis post Dioclem (Olymp. XCVII. 1.), sive tribus ante Plutum posteriorem (Olymp. XCVII. 4.), de Laide tamquam mortua locutum esse. Quod si verum est, Lais ne in posteriore quidem Pluto notari poterat. Aristophanes igitur de mortua Laide haec narravit; at huic sententiae repugnat versus 179. Sed hanc difficultatem qui movit, idem eam solvat: continuo enim addit scholiastes: δύναται μέντοι καὶ αὐτῆς ζώσης λέγεσθαι. Platonis igitur verba ita erant ambigua, ut etiam de Laide adhuc vivente intelligi possent, hunc fortasse in modum enunciata: L a i s p u l c h e r r i m a i a m e v a n u i t, h. e. Laidis pulcritudo iam defloruit, idque aptissime dici poterat de Laide tum temporis annos triginta unum nata. Neque vero haec res in coniectura est posita, Platonis videlicet locum verbis tantum de mortua Laide accipi potuisse, reapse de viva intelligendum, cum ex locis Aristophanicis certissime evincatur eam ultra Olymp. XCVII. 4. vitam

produxisse, h. e. saltem tribus annis post Platonis fabulam in vivis fuisse. Apparet ex his Meinekium Quaest. Scen. I'. p. 66. sq. de morte Laidis et de tempore, quo docta fuerit Strattidis fabula, *Μακεδόνες*, paullo festinantius statuisse. Cum igitur strophas has quatuor (290—315.) in sola posteriore Pluti editione fuisse certum sit, idem valet de versibus 316—321. Dicat hic aliquis has ipsas strophas exemplum praebere illorum carminum, quae grammaticus ante laudatus voce *Χορο ῦ* indicaverit; sed ne ita statuamus, plura nobis obstant. Primum enim in libris et antiquis editionibus non praepositum legitur his versibus vocabulum *Χορο ῦ* neque a scoliaste agnoscitur: tum vero grammaticus ille tradidit propterea immixta esse illa cantica, ut actores requiescere possent; sed Cario, persona scenica, una cum choro illas strophas recitat: deinde si haec chori carmina grammaticus significasset, mirandum foret, quo casu factum sit, ut ea, cum hic quidem servarentur, ceteris in locis interciderint: denique, id quod omnem hac de re dubitationem praecidit, ab ipso Carione (316. 317.) haec carmina ludicra (*σκώμματα*) distinguuntur a chori cantico iam secuturo (*ἀλλ' εἶδος*), quod, si vera est coniectura mea ante proposita, neque a nobis neque ab aequalibus legi voluit Aristophanes. Itaque praeter cantica illa, eo tantum scripta consilio, ut actores requiescere et scenicus apparatus mutari possent, alia etiam carmina faciliora vel sublata choregia in Pluto et media novaque comoedia locum suum retinebant. Sed haec mirum quantum distabant a iustis chori partibus, quibus ille in comoedia antiqua fungebatur. Quare neque reprehenderim grammaticum

Kusteri p. XII'.; Lips. p. XXXIII., de Pluto haec dicentem: *καὶ γὰρ τὸ τούτου δρᾶμα ὁ Πλοῦτος νεωτερίζει — καὶ χορῶν ἐστέρηται, ὅπερ τῆς νέας ὑπῆρχε κωμῳδίας*, neque omnino ex hoc et similibus locis collegerim chorum in media novaque comoedia prorsus obmutuisse. Cautius tamen et accuratius non *Χορὸν* sed *χορικὰ μέλη*, h. e. maiora cantica atque iustas chori partes, mediae comoediae abiudicat Platonius Kusteri p. XI. *Οἵτε τῆς μέσης κωμῳδίας — τὰ χορικὰ μέλη παρέλιπον οὐκ ἔχοντες τὰς δαπάνας τοῖς χορευταῖς παρέχοντας.* Platonium caveamus ne cum aliis erroris accusemus, quod eodem loco Cratini *Ὀδυσσεῖς* neque *χορικὰ* (*μέλη*) neque *παραβάσεις* habuisse dixerit, quamvis ex fabulae fragmentis chori quasdam partes in ea obtinuisse certo appareat. Conf. Lucas Cratin. et Eupol. p. 63., Runkel. Cratini fragmenta p. 38. Praeter locum vv. 290—315., cum cantu ac saltatione recitatum, etiam versus 637. 639. 640. a choro canebantur. Secundum igitur chori in Pluto et media comoedia munus est, ut cantica faciliora, eaque non ad solam fabulae oeconomiam tuendam facta, neque solis choreutis, sed etiam lectoribus scripta, aptis locis immisceat.

Restat tertium chori munus, quod eo continetur, ut sermones cum actoribus conferat. Loquitur chorus in Pluto vv. 257—260. 264. 268—269. 271—272. 275—276. 279—283. 286. 288—289. 328—331. 487—488. 631—632. 962—963. (963—964.) 1208—1209. (1209—1210).. Versus 962—963. s. 963—964. editores nuperrimi, Dobraeus et Guil. Dindorfius, Chremylo tribuerunt Bentleium sequentes, cui morem etiam Hemsterhusius gessit. Sed *Χο.*, h. e. *Χορός*, exhibent libri optimi

taque editiones antiquissimae (cf. Dobr.), idque legendum esse ratio evincit. Nam post v. 958. s. 959. cum viro iusto scenam relinquit Chremylus. Sequitur Χοροῦ s. canticum chori, quo finito venit vetula, quae ad chorum conversa (Ἄρ' ὦ φίλοι γέροντες), eum de domicilio novi dei percontatur: γέροντες autem Chremylus et vir iustus esse non possunt, cum hic, intus ad Plutum ingressus, in exitu demum fabulae, ubi Plutus ad Minervae ὀπισθόδομον deducitur, rursus in scena compareat. Chorus igitur cum interrogatus esset a vetula, eum quoque respondere par erat, quod non fugit scholiastem, ad hos versus annotantem: προσπαίζουσι τῇ πρεσβύτιδι οἱ γέροντες. Bentleius eorum librorum qui Χο. exhibent auctoritatem eo infringere tentavit, ut statueret Χο. non esse Χορὸς sed Χοροῦ, et hoc loco chori carmina olim fuisse, nunc deficere. Conf. Comment. in Aristoph. ed Beck. tom. III. p. 513. ad v. 963. Profecto mirandum est et viro magno hoc excidere et ab aliis probari potuisse: quid enim potest ineptius cogitari, quam vetula quaerente chorum non respondere sed canere? Chorus igitur ad vetulae quaestionem respondet, et cum illa in eo esset, ut quendam ex domo Chremyli advocaret v. 964. s. 965., Chremylus ipse in scenam procedens dicit v. 965. s. 966:

μὴ δῆτ', ἐγὼ γὰρ αὐτὸς ἐξελήλυθα.

Tria igitur chori munera in Pluto vidimus: quae fabula cum ea re ad mediam novamque accedat comoediam, quod iusto choro et parabasi caret, aliaque eius indicia, iam indicata et mox indicanda, praebeat, et a grammaticis antiquis ad eam referatur: talem cho-

rum, qualem in Pluto vidimus, in multis tum mediae tum novae comoediae fabulis fuisse indico, neque assentior Eichstadio (de Dram. Gr. comico-satyr. p. 72. n. 117.) et Boeckhio (Oecon. Athen. I. p. 493.), qui mediae novaeque comoediae choro nihil nisi sermones relictos fuisse existimant.

Restat ut de parabasi, in nostra fabula ac media comoedia omissa, pauca dicantur, iisque haec de Pluti choro disputatio absolvatur. Parabasis vim et naturam exponere hoc loco neque propositum est nobis neque necessarium: certum est eam defuisse mediae comoediae; Plutus igitur etiam hac in re illius *Χαρακτῆρα* prodit. Platon. Kusteri p. XI. *Τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ μέσης κωμῳδίας τύπος, οἷός ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους— καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ οὔτε παραβάσεις ἔχοντα.* Cur autem parabasis omissa fuerit, non erit obscurum post ea, quae supra de choregia sublata disputavi. Namque parabasis eas chori partes sibi vindicabat, in quibus summa choreutarum et recitandi ars et canendi et saltandi expromenda erat (conf. grammaticus Kusteri p. XIV., Lips. p. XXXVIII.). Ad eas igitur partes bene sustinendas cum longum per tempus praeparari choreutas oporteret, eaque praeparatio sine magnis sumtibus institui non posset, neque poeta choregum a civitate electum acciperet*): res ipsa parabasin omitti iubebat. Sed alia accedit causa. Nam in parabasibus praecipue lacessendi et vexandi

*) Platonius l. l. *οὐ γὰρ ἔτι προθυμίαν εἶχον οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς χορηγοὺς τοὺς τὰς δαπάνας τοῖς χορευταῖς παρέχοντας χειροτονεῖν.*

studio, et populum universum vel singulos ridendi consuetudini indulgebant comici: ea autem licentia non quidem lege, ut infra demonstrabo, sublata, sed tamen temporibus ipsis restricta erat.

Alia investiganti mihi indicia, quibus Plutus ad mediam comoediam accedat, statim occurrit longior et perfecta Homericae fabulae parodia, contenta illa versibus 302-315. Parodiae quidem usus late iam in antiqua comoedia regnabat. Homeri aliorumque poetarum versus ac praecipue tragicorum loci ita a comicis transferebantur, ut risus inde excitaretur: sed nullum invenimus in aliis nostri poetae comoediis eius parodiae exemplum, qua tota cuiusdam poetae narratio ac fabula ex mythologia sumta comice translata atque expressa fuerit. Ad longiores et perfectiores parodias primus ex antiquae comoediae poetis vim suam ingeniumque accommodasse videtur Cratinus in fabula Ὀδυσσεῖς inscripta; quam, etsi florente comoedia antiqua compositam, tamen mediae comoediae τύπῳ signatam fuisse testatur Platonius Kusteri p. XI., quamque eo tempore doctam esse, quo Attica comoedia psephismate, ab archonte Morychide lato Olymp. LXXXV. 1., tres per annos constricta teneretur, non sine magna veritatis specie suspicatus est Meinekius I. p. 35. Restituta Olymp. LXXXV. 4. comoediae libertate, comici hunc fabulas mythologicas earumque scriptores ridendi morem abiecerunt. Sed circa Olymp. XCVI. vel. XCVII. plures comoedias ad fabulas mythologicas earumque narratores, sive epicos sive lyricos sive tragicos, deridendos compositas doctasque esse tum deperditarum tituli ac fragmenta ostendunt, et Platonius l. l. lucu-

lento testimonio comprobabavit, tum inde apparet, quod Antiochus Alexandrinus singularem librum scripsit *Περὶ τῶν ἐν τῇ μέσῃ κωμῳδίᾳ κωμῳδουμένων Ποιητῶν.* Athen. XI. p. 482. c. Sed huius parodiae genus est duplex: nam comici aut fabulas ipsas mythologicas ad risum excitandum detorquebant, aut poetarum inventa et poematum argumenta tamquam ridenda et explodenda notabant, h. e. non tam fabulas mythologicas, quam imperitos earum narratores et inventores ridebant. Prioris generis parodia est ea, quam in Pluto indicavimus. Pro Circe Homerica hic est Lais meretrix, pro Ulixi sociis amici Philonidis, pro insula Aeaea Corinthus, pro Ulixe ipso Philonides, pro venenis *μεμαγμένον σκῶρ.* In altera stropha vv. 308-315. Carioni, qui Circen se imitaturum esse dixerat, minatur chorus se Ulixis personam agentem, quemadmodum is Circen satis ferociter aggressus sit (Odyss. κ. 321. 322.), ita in Carionem multo crudelius facturum esse; simulque versu 312. respicit chorus Odysseae locum χ. 175-177. 192-194., substituitque caprario Melanthio turpissimum Aristyllum. Alterum parodiae genus adhibitum reperitur in strophis 290-295. 296-301., ubi fabula parodiae subiecta ex Homero sumta est, sed simul Philoxenus ridetur, ut qui primus eam fabulam imperite tractaverit.

Praeterea illam antiquae comoediae singulos aliorum poetarum versus mutuandi eosque ridicule transferendi consuetudinem a mediae comoediae poetis non esse repudiatum, cum per se verisimile sit, Pluto certissime comprobatur. Quod quo certius constet, eos Pluti lo-

cos apponam, quos ex tragicis vel aliis poetis detortos esse observavi. Statim fabulae initio vv. 6. et 7.

τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
κρατεῖν ὁ δαίμων,

rideri tragici cuiusdam locum et ex nomine servi, argute circumscripto per σώματος κύριον, et numeris, qui nullis solutionibus dilatantur, et toto orationis colore apparet. His adiungimus vv. 8-12.

τῷ δὲ Λοξίᾳ,
ὃς θεσπιῳδεῖ τρίποδος ἐκ χρυσηλάτου,
μέμψιν δικαίαν μέμφομαι ταύτην, ὅτι --
μελαγχολῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην.

quibus ridetur Euripides Oreste 285-387. ed Dindorf.

Λοξίᾳ δὲ μέμφομαι,
ὅστις μ' ἐπάρας ἔργον ἀνοσιώτατον,
τοῖς μὲν λόγοις εὔφρανε, τοῖς δ' ἔργοισιν οὔ.

Pro duobus versibus posterioribus ὅστις—ἔργοισιν οὔ Aristophanes παρ' ὑπονοίαν dixit, ὅτι — μελαγχόλῶντ' ἀπέπεμψέ μου τὸν δεσπότην. Versu 9. alium respici tragici locum nobis ignotum voces illae θεσπιῳδεῖ et χρυσηλατου ostendunt. Tragicum spiritum in verbo θεσπιῳδεῖ agnovit scholiastes his verbis: ἐτραγικεύσατο τῇ φράσει, et vocis χρυσηλάτου vim supra soccum elatam erudite perspexit Berglerus: Haec quoque vox supra soccum comicum, utitur ea saepius Euripides, in Medea aliquoties. Lege locos Euripideos in indice editionis Beck. Versum 39.

τί δῆθ' ὁ Φοῖβος ἔλακεν ἐκ τῶν στεμμάτων;

ex tragico translatum esse et λέξις τραγικὴ illa ἔλακεν indicat (conf. schol. ad Pacem v. 381. sive 379.), et audax locutio, ἐκ τῶν στεμμάτων, confirmat. Fidem igi-

tur habebimus scholiastae ad hunc locum narranti rideri hoc versu Euripidem. Repetitiones Euripideae notari videntur v. 114.

Οἶμαι γὰρ, οἶμαι, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται, —

Versu 203.

δειλότατόν ἐσθ' ὁ Πλοῦτος.

respici ad versum Euripideum in Phoen. 606. ed. Porson.

— δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος καὶ φιλόψυχον κακόν.

erudite vidit Berglerus. Maiore confidentia versum 213.

ὁ Φοῖβος αὐτὸς Πυθικὴν σείσας δάφνην.

ex tragico nescio quo sumtum esse affirmo; tu lector, si dubitas, recita versum et mecum consenties. Versum 255.

ἴτ', ἐγκονεῖτε, σπεύδεθ', —

legentes recordamur versum Hecub. 507.

σπευδῶμεν, ἐγκονῶμεν, —

Versus 601.

ὦ πόλις Ἄργους κλύεθ' οἷα λέγει;

ex diversis Euripidis versibus detortus est. Cf. Phoen. 611. 613. ed. Dind., Med. 168. collato 166. Ad versum 603.

τί πάθω τλήμων;

recte animadvertit scholiastes: τινὰ γελᾷ τῶν τραγικῶν. Versus 635.

ἐξωμμάτωται καὶ λελάμπρυνται κόρας,

ex Sophoclis Phineo translatus est inversa sententia. Cf. schol. et intpr. Versibus 639. et 640.

ἀναβοάσομαι τὸν εὔπαιδα καὶ
μέγα βροτοῖσι φέγγος, Ἀσκλήπιον.

similes multi apud Euripidem inveniuntur. Versus 660.

661. supra soccum assurgere vidit Hemsterhusius, itemque v. 1151. s. 1152.

πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ᾽ ἵν᾽ ἂν πράττῃ τις εὖ.

Praeterea tragicum spiritum et numeris et orationis colore produnt versus sequentes:

51. οὐκ ἔσθ᾽ ὅπως ὁ χρησμὸς εἰς τοῦτο ῥέπει,
81. ὦ Φοῖβ᾽ Ἄπολλον καὶ θεοὶ καὶ δαίμονες
καὶ Ζεῦ, τί φῄς;
92. οὕτως ἐκεῖνος τοῖσι χρηστοῖσι φθονεῖ.
328. θάῤῥει βλέπειν γὰρ ἄντικρυς δόξεις μ᾽ Ἄρη.
363. ἀλλ᾽ εἰσὶ τοῦ κέρδους ἅπαντες ἥττονες.
758. ἐκτύπειτο δὲ
ἐμβὰς γερόντων εὐρύθμοις προβήμασιν.
825. ἀνὴρ πρότερον μὲν ἄθλιος, νῦν δ᾽ εὐτυχής.
1110. ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι τούτων τέμνεται *).
1127. ποθεῖς τὸν οὐ παρόντα καὶ μάτην καλεῖς.

His expositis videamus, num etiam in numeris nostrae fabulae aliquid reperiatur, quod ab antiquae comoediae more discedens ad mediam novamque inclinet. Illud quidem, quod Hermannus aliique observarunt de tragicis, eos videlicet post Olympiadem LXXXIX. in numeris pangendis negligentiores fuisse, idem de poetis comicis dici nequit, cum horum splendidissima sidera, Aristophanes, Eupolis, Plato, circa vel post hoc tempus maxime excelluerint. Sed cum Plutus iterum doceretur, etiam comoedia a summo suo

*) Hic versus, de quo ineptissima quaeque ineptiunt scholiastae eosque sequuti interpretes, ei intellectu facillimus est, quem istae nugae non pertubarunt. Carionis ira, minis a Iove denuntiatis excitata, primum se vertit in nuntium Mercurium.

fastigio deiecta erat, illiusque aetatis poetae multa ante inaudita admiserunt. Aristophanes autem eo magis est laudandus propterea, quod neque temporibus neque extrema sua senectute a vetere diligentia elegantiaque, ut in rebus et sententiis aptissime eligendis, ita quoque in numeris ex artis legibus componendis abduci se passus est. Huius quidem elegantiae neglectionem putaverit aliquis, quod in vv. 345. 408. 421. particula τὲ secundum pedis trisyllabi locum obtineat, et reapse negligentiam in versibus duobus prioribus deprehendere sibi visus est Porso in Praef. ad Hecub. p. XVI. (XVIII.). Sed nihil habet offensionis haec particula in secunda pedis trisyllabi sede, si pes ille, ut in his Pluti locis, versus initium obtinet. Conf. Reisigii Coniectan. p. 134., cuius exempla, ad hanc rem comprobandam allata, ex ipso Aristophane facile cumulari possunt. At vero aliud invenitur in nostrae fabulae numeris, quod posteriorem aetatem redolere videtur, dico hiatus, qui efficiuntur vocibus οὐδὲ ἕν, μηδὲ ἕν, οὐδὲ εἷς in versibus 37. 138. 1115. (1116.). 1182. (1183.).

εἶναι πανοῦργον, ἄδικον, ὑγιὲς μηδὲ ἕν,
οὐ βοῦν ἄν, οὐχὶ ψαιστὸν, οὐκ ἄλλ᾽ οὐδὲ ἕν,
οὐ ψαιστὸν, οὐχ ἱερεῖον, οὐκ ἄλλ᾽ οὐδὲ ἕν,
κἀμέ γ᾽ ἐκάλει τὸν ἱερέα, νῦν δ᾽ οὐδὲ εἷς.

Hunc hiatum in ceteris Aristophanis comoediis frustra quaesiveris, et ni fallor antiquiores Atticorum comici ab eo abtsinendum esse existimarunt*). Invenitur iste

---

*) Epicharmus, comicus Doriensis, illum hiatum saepius admisit. Vide, ut saltem unum afferam exem-

demum apud eos antiquae comoediae poetas, qui iam mediam attigerunt, ut apud Theopompum Diogenis Laert. III. 26. in fabula *Ἡδυχάρης* inscripta, quam ad mediam comoediam accessisse iam inde apparet, quod Platonis Phaedo in ea ridetur; cf. Meinek II. p. 69. Locus est:

ἓν γάρ ἐστι οὐδὲ ἕν,
τὰ δὲ δύο μόλις ἕν ἐστιν, ὥς φησι Πλάτων.

Mediae atque recentioris comoediae poetae tam saepe istum hiatum admiserunt, ut eo delectati esse videantur. Aristopho Athenaei VI. p. 238. c.

πρὸς μὲν τὸ πεινῆν ἐσθίειν τε μηδὲ ἕν.

Menander Stobaei Serm. CXX. p. 607. Gesn., 501. Grot., apud Meinek. p. 251.

— τί δ' ἂν ἔχοι νεκρὸς
ἀγαθὸν, ὅπου γ' οἱ ζῶντες ἔχομεν οὐδὲ ἕν;

Philemo Stobaei Serm. CVI. p. 568. Gesn., 455. Grot., Meinek. p. 404.

Ἄνθρωπος εἶ δήπουθεν, ὧν ἐστ' οὐδὲ εἷς.

Lege praeterea, si tanti est, Menandrum Stobaei X. p. 127. Gesn., apud Meinek. p. 4., Athenaei VIII. p. 559. c. Meinek. p. 26., Philemonem Stobaei XXXVIII. p. 221. Gesn., apud Meinekium p. 418., LXXIX. p. 467. Gesn., apud Meinek. p. 360., C. p. 594. Gesn., apud Meinek. p. 413.

---

plum Etymol. Magn. s. v. *στατῆρες.* Ex antiquae comoediae poetis fortasse unus et alter in pangendis numeris negligentior hanc sibi veniam sumsit, ut Crates Athenaei VI. p. 267. e.

ἔπειτα δοῦλον οὐδὲ εἷς κεκτήσετ' οὐδὲ δούλην.

Sed haec de numeris sufficiant. Festinamus enim ad quaestionem de hominibus in Pluto nominatim descriptis, quam multis et antiquorum grammaticorum et recentiorum scriptorum erroribus impeditam video. Pervulgata est enim inde a Kustero opinio Pluti posterioris tempore lege lata vetitum fuisse, expresso nomine quempiam sale comico perfricare (conf. Beck. Comment. tom. III. p. 1—2.), ideoque nostrae fabulae locos, in quibus nominatim homines nefarii describantur, ex Pluto priore in nostram esse translatos. Kusterus ad probandam hanc narrationem ad Petiti Leges Atticas p. 80. 81. (151. 152.) provocat; videamus igitur, num Petitus illam legem eo tempore, quo Plutus iterum doceretur, fuisse probaverit. Demonstravit ille ex schol. ad Acharn. 67. archonte Morychide, Olymp. LXXXV. 1., legem esse latam, ne quis nominatim in comoedia derideretur, eamque archonte Euthymene, Olymp. LXXXV. 4., sublatam esse. Hactenus quidem vere Petitus; sed idem fretus scholiastae verbis ad Acharn. 1163. (1150.) eandem legem rursus latam esse ab Antimacho, et quidem paullo ante Plutum posteriorem, h. e. Olymp. XCVII. 4., affirmavit. Ipsius Aristophanis verba haec sunt.

Ἀντίμαχον τὸν Ψακάδος
τὸν ξυγγραφῆ, τὸν μελέων ποιητήν,
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅς γ' ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέκλεισ' ἄδειπνον.

Hoc loco luce clarius apparet istum Antimachum, rerum scriptorem poetamque lyricum, Aristophani Lenaeis choregum fuisse atque hoc munere parce sordi-

deque perfunctum esse. Sed audi scholiastem: is enim ea sententia, quam ipsa poetae verba suppeditabant, non contentus, aliam causam sibi finxit, cur Antimachus tam acerbe notatus fuerit: ἐδόκει δὲ ὁ Ἀντίμαχος οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι, μὴ δεῖν κωμῳδεῖν ἐξ ὀνόματος. Eum vero hanc rem finxisse et hausisse ex ipsius Aristophanis verbis apparet ex adiecto illo ἐδόκει: et si quis putaverit tum dicendum fuisse δοκεῖ, non ἐδόκει, meminerit is a scholiastis fere semper, cum coniecturam de rebus historicis afferunt, eas tamquam res vere gestas exponi. Itaque scholiastes noster, cum dicere deberet δοκεῖ, ut maiorem fidem dictis suis conciliaret dixit ἐδόκει. Sed ut vera sit scholiastae narratio, huius Antimachi psephisma saltem ante Acharnenses (Olymp. LXXXVIII. 3.) ponendum erat. Nam si scholiastes de Antimacho, Olymp. LXXXVIII. 3. ab Aristophane in Acharnensibus notato, hoc narrat: ἐδόκει δὲ οὗτος ψήφισμα πεποιηκέναι – haud dubie tempus ante fabulam illam intelligit. Hoc quidem non fugit Boeckhium Oeconom. Athen. I. p. 345., qui propterea videtur hanc legem retulisse ad Morychidis psephisma, Olymp. LXXXV. 1. factum. Sed hic quoque iusto plus tribuere videtur scholiastae verbis, cuius narratio illa coniectura minime expeditur, quoniam Olymp. LXXXV. 1., quo tempore Aristophanes nondum docebat fabulas, Antimachus illud psephisma ferre simulque, ut narrat scholiastes, Aristophani choregus esse non poterat. Antimachi igitur psephisma μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν, si unquam fuit, haud dubie ante Acharnenses, s. ante Olymp. LXXXVIII. 3., et factum et sublatum est, Aristophanemque nunquam impediit,

quo minus in Pluto posteriore (Ol. XCVII. 4.) homines nefarios nominatim describeret. Ol. XCVI. 4. docuit Ecclesiazusas, in qua fabula antiquus maledicendi mos obtinet: quod si igitur, cum Plutus posterior doceretur, lege vetitum erat ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν, eam legem inter Olymp. XCVI. 4. et XCVII. 4. latam esse oportet. Antimachi quidem psephisma, ad hoc tempus a Petito relatum, modo repudiavimus; sed, ecce, alius novum nobis offert, Anonymus Kusteri p. XIV., Lips. XXXVII. et XXXVIII.: ψηφίσματος γὰρ γενομένου χορηγοῦ, ὥστε μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν τινα — ἔγραψε — Κώκαλον. Pro χορηγοῦ Meinekius I. p. 35. legit χορηγικοῦ; sed nescio, an non Anonymus noster ex scholiaste ad Acharn. v. 1163. (1149.) hauserit, ubi de Antimacho hoc narratur: ἐχορήγει δὲ ὁ Ἀντίμαχος τότε, ὅτε εἰσήνεγκε τὸ ψήφισμα, ac tum ψήφισμα χορηγοῦ esset psephisma a chorego latum, quamvis dicendum fuisset χορηγοῦ τινος. Id si certius constaret, hoc psephisma una cum illo Antimacheo eiiceremus, nunc vero Anonymi verba prorsus negligere non possumus. At vero illa narratione nihil aliud comprobatur, nisi ante Cocalum illud psephisma factum esse: sed Cocalus data est post Plutum secundam ab Aristophanis filio Ararote. Conf. Argumentum Pluti. Sed cum ante Cocalum illa lex fuerit, nonne iam fuit eadem, cum Plutus iterum doceretur, quae quidem fabula a n t e Cocalum sed certe non diu a n t e docta est? Quaerere sic aliquis possit atque addere Hermogenis locum Περὶ Στάσεων sect. 13. p. 75., Horatii A. P. vv. 282-284., qui legem istam commemorantes, quamvis certum quoddam tempus non designaverint, illam tamen aetatem, qua co-

moedia antiqua in mediam novamque transiit, significarunt. Huic si opponerem in Pluto homines nominatim perstringi, is cum Kustero responderet: at loci illi ex Pluto priore in posteriorem translati sunt. Omnis igitur quaestio eo perducta est, ut eos versus, quibus nominatim aequales notantur, aut ostendamus vere ex Pluto priore in nostram translatos esse, aut eos, ut in nostra, sic quoque in posteriore Pluti editione et quidem in ea sola fuisse demonstremus. Hoc posterius si probatum fuerit, τὸ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν lege non erat vetitum, cum Aristophanes Olymp. XCVII. 4. Plutum iterum doceret. Neque hoc ostendere difficile erit, cum ad eam quaestionem iam supra via praemunita sit. Dicebamus ibi de Laide eiusque cum Philonide Atheniensi, orto illo ex demo Melitensi, consortio, simulque ostendimus vv. 302 - 315. in solo Pluto posteriore locum habere potuisse. Sequitur inde Philonidem tamquam hominem libidinosum atque parasitis, turpissima quaeque perpetrare et pati paratis, circumstipatum, qui cum istis Corinthum explendae libidinis causa profectus sit, acerbe notari; et quidem non solum in his versibus, sed etiam v. 179.

ἐρᾷ δὲ Λαῒς οὐ διὰ σὲ (Πλοῦτον) Φιλωνίδου;

in quo pro Λαῒς scribendum esse Ναῒς inepte coniecit Athenaeus XIII. p. 592. d., probante Harpocratione s v. Ναῒς. Sed haec coniectura tum refutatur omnium librorum scriptura, tum vv. 302—305., qui nullo modo de Naide Atheniensi, sed tantum de Laide Corinthia apte intelligi possunt. De Philonide igitur in Pluto posteriore deriso res satis certa est.

At dixerit quispiam, Philonidem ut hominem om-

nino perditum (cf. schol. ad v. 179.), moribus rusticis, corpore vasto, in omni victu cultuque ridendum, notare licuit Aristophani, quamvis id lege vetitum esset. Videamus igitur, num altioris dignitatis atque auctoritatis homines in sola posteriore Pluti editione nominatim descripti sint, statimque ad eum veniamus, qui salsissime in hac fabula irridetur, Neoclidem, in vv. 665. 666. 716—726. 747., tamquam homo furando et vexando rem publicam infamis, correptus oculorum morbo iisque ab Aesculapio omnino privatus, ideoque a concionibus, in quibus ante regnaverit, in omne futurum tempus tandem exclusus. Apud rerum scriptores hunc lippum ac rapacem demagogum frustra quaesiveris, sed idem commemoratur in Ecclesiazusis vv. 254—255. 398—407. Bis ibi ὁ γλάμων appellatur, et loco priore Praxagora, ad populi concionem profectura in eaque regnatura, quaerenti mulieri, quid factura sit, si a Neoclide increparetur, respondet proverbio in lippos iactari solito: Hunc in canis nates videre iubebo. Ad quem locum scholiastes narrat Neoclidem rideri a comicis tamquam sycophantam, peregrinum, furem. Altero loco commemoratur ut is, qui primus in populi concionem irruerit voceque procaci inanes clamores profuderit. Certum est igitur eo tempore, quo Ecclesiazusae docebantur, h. e. Olymp. XCVI. 4., Neoclidem in administranda Atheniensium civitate plurimum valuisse et in populi concionibus fere regnasse. Iam considera, quid sequatur, si versus ex Pluto laudatos priori huius fabulae editioni vindicemus: lippus scilicet iste et rapax calumniator inde ab Olymp. XCII. 4. usque ad XCVI. 4. per sedecim annos rem publicam Atheni-

ensium vexavit, idemque, quem poeta iam in Pluto priore a re publica capescenda prohibitum esse narravit, sedecim post annis ut potentissimus acerrimusque demagogus describitur. Nonne mirandum esset eum demagogum, qui tam diu viguisset, a Xenophonte et Diodoro ne commemorari quidem, eundemque in Ranis, quae fabula inter Plutum priorem et Ecclesiazusas Olymp. XCIII. 3. docta est, haud descriptum esse? Quae difficultates omnes amoventur, si statuimus Neoclidem non diu ante Ecclesiazusarum tempus ad rem publicam accessisse et quatuor annis post, cum Plutus iterum doceretur, ab ea fere recessisse. Ad hanc sententiam firmandam aliud afferam, quamvis in sola coniectura positum. Aristophanem videlicet lepidissima illa narratiuncula (vv. 716—725.) de Neoclidis oculis, Aesculapio auctore miris medicamentis paene exustis, ita ad rem veram respexisse credo, ut tum temporis sive casu sive medicorum imperitia Neoclidis lippitudo vel in caecitatem transierit, vel magnopere saltem aucta fuerit. Hunc igitur casum hominis perniciosi ac nequissimi non miserandum ficta illa narratione spectatoribus deridendum proponere poterat Aristophanes, vir si quis alius solertissimus in rebus forte obiectis arripiendis iisque ad risum excitandum detorquendis. Certe non facile intelligitur, quomodo haec historiola sine ulla occasione, ut ita dicam, externa apte narrari potuerit. Qua de causa etiam illi, quibus haec coniectura audacior videatur, ex hac narratione apparere concedent, Neoclidem illo tempore iam fere a rebus gerendis abstinuisse, sive oculorum morbo coactum sive a populo ipso repudiatum; quo concesso rursus sequitur hos

versus in Pluto priore non fuisse: nam tum idem Neoclides in Ecclesiazusis sedecim annis post datis ut demagogus acerrimus notari non poterat. His igitur fretus argumentis versus laudatos et Neoclidem descriptum soli Pluto posteriori vindico.

Sed ne quis forte mihi obiiciat etiam talem hominem, qualis fuerit Neoclides, et cuius in rebus gerendis potentiam illo tempore fractam fuisse ipse iudicaverim, impune rideri potuisse, quamvis lege vetitum fuerit τὸ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν, hoc igitur ne mihi opponatur, ad alios transibo in Pluto posteriore irrisos, de quibus idem dici nequit. Versu 176. servus Cario dominum interrogat:

Ἀγύῤῥιος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;

h. e. nonne Agyrrhius divitiis elatus luxuriatur et quasi asinus pedit? Quae dicta sunt de eo tempore, quo Agyrrhius magnam auri vim corraserat. Idem vero ab Aristophane in Ecclesiazusis vv. 103. 104.

καίτοι πρότερον ἦν οὗτος γυνή·
νυνὶ δ', ὁρᾷς, πράττει τὰ μέγιστ' ἐν τῇ πόλει.

tamquam is describitur, qui, cum diu ignobilis delituerit, nuper ad altum in re publica administranda gradum evectus sit. Quam ad rem multum contulit, quod ille mercedem eorum, qui populi concionem frequentarent, paullo ante Ecclesiazusas, Olymp. XCVI. 4. datas, ad tres obolos augendo plebeculae sibi favorem conciliavit. Cf. Eccles. 184—186., Boeckh. Oeconom. Athen. I. p. 247., Henr. Voss. ad Eccles. v. 183. Ea autem gratia tantopere crevit, ut ille, in Thrasybuli ab Aspendiis occisi locum suffectus, ad exercitum circa Lesbum ceterasque

maris Aegaei insulas dispositum mitteretur Olymp. XCVIII. 3. s. 4., h. e. paullo ante Plutum posteriorem. Cf. Xenoph. Histor. Gr. IV. 8. 31. Dodwell. Annal. Xenoph. XXII. Agyrrhii igitur potentia et auctoritas maxime florebat Olymp. XCVI. et XCVII: Cf. Boeckh. Oeconom. Athen. I. p. 236. 240—242. 245. 258. 339., Meinek. Q. S. I. p. 35. Itaque in Pluto posteriore hoc de Agyrrhio apte dici poterat:

Ἀγύῤῥιος δ' οὐχὶ διὰ τοῦτον πέρδεται;

minime vero in Pluto priore, h. e. Olymp. XCII. 4., cum iste, qui demum paullo ante Ecclesiazusas, h. e. sedecim annis post, auctoritatem opesque consecutus est, vix ab ullo cognosceretur. Neque pepercit Aristophanes Timotheo illa aetate clarissimo, sed notavit eius luxuriam in domicilio ad turris altitudinem exstructo v. 180., quem versum Pluti posterioris esse unusquisque videt. Cum igitur in continua Carionis oratione 170—180. versus 176. 179. 180. soli Pluto posteriori vindicandi sint, et cum vv. 173. 178. propter res in iis memoratas in priore, ut infra apparebit, locum habere non potuerint: etiam ceteros duo, Pamphilum et Belenopolem (174. 175.), in ea oratione commemoratos, in secunda demum Pluti editione notatos esse certum est. Pamphilus qualis fuerit, optime intelligitur ex loco Platonis comici a scholiaste servato: *Καὶ νὴ Δί' εἰ Πάμφιλόν γε φαίης κλέπτειν τὰ κοινά, ἅμα τε συκοφάντην.* Qua de causa fidem habebimus scholiastae Pamphilum aerarium compilasse narranti et propterea bonis publicatis exilio multatum esse. Belenopolem, h. e. acuarium, Pamphili parasitum fuisse tradit idem scholiastes.

Iam, credo, psephisma illud *μὴ ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν* vel maxime vacillat, idque ante Pluti emendationem secundam nullum fuisse audacter et confidenter pronuntio, et si unquam fuerit, certe post Plutum posteriorem factum esse. At parcius quam in ceteris fabulis hic mali perstringuntur. Profecto; neque eius rei causa potest esse obscura. Quid tentatum fuerit ad morem illum comicorum tollendum legibusque coercendum erudite exposuit Meinekius I. p. 34. 35.; ad quem locum quamvis provocare possim, tamen quo sequentia melius intelligantur, de eadem re et mihi pauca dicenda existimo. In praecedentibus iam vidimus archonte Morychide Olymp. LXXXV. 1. lege quidem vetitum fuisse aliquem nominatim in comoedia rideri, sed eam archonte Euthymene Olymp. LXXXV. 4. sublatam et morem antiquum restitutum esse. Quam ob rem audacter acerbeque malis ac nefariis hominibus insultare poterat Aristophanes in Acharnensibus (Olymp. LXXXVIII. 3.), Equitibus (LXXXVIII. 4.), Nubibus (LXXXIX. 1.), Vespis (LXXXIX. 2.), Pace (LXXXIX. 3.), Avibus (XCI. 2.), Lysistrata (XCII. 1.). Sed hoc anno cum democratia etiam comoediae libertatem solutam fuisse suspicatur Meinekius, cui ita assentior, ut nullum poetam comicum tam insanum fuisse dicam, qui contra illos q u a d r i n g e n t o s v i r o s, omnia suo arbitrio agentes et crudeliter in adversarios irruentes, vel in eorum socios maledicta iecerit, non autem certis hoc legibus vetitum fuisse. Sed horum imperio sublato, rursus loqui liberius comicis licebat, cuius rei argumentum praebent Aristophanis Ranae, Olymp. XCIII. 3. datae. Non multo post, cum t r i g i n t a v i r i

Atheniensium rem publicam dilacerarent, comoediae amarulenta dicacitas haud dubie obmutuit; sed certas leges ad eam reprimendam latas esse demonstrari nequit, immo solo timore poetas comicos a maledictis abstinuisse tradit Platonius Kusteri p. X.: *Τῆς δημοκρατίας ὑποχωρούσης ὑπὸ τῶν κατὰ τὰς Ἀθήνας τυραννούντων — ἐνέπιπτε τοῖς ποιηταῖς φόβος.* Neque vero quae sequuntur, *οὐ γὰρ ἦν τινα προφανῶς σκώπτειν, δίκας ἀπαιτουμένων τῶν ὑβριζομένων παρὰ τῶν ποιητῶν*, de certis legibus intelligere licet. Idem Platonius p. XI. dicit Aristophanem in Aeolosicone propter timorem (*διὰ τὸν πολὺν φόβον*) a maledictis abstinuisse. Ille autem timor non tam psephismatis quam tota temporum conditione iniici poterat. Cum sublata triginta tyrannorum dominatione, libertas rediret, Aristophanes in Ecclesiazusis, Olymp. XCVI. 4. datis, exsultare licentius poterat, neque hunc morem, ut modo vidimus, in Pluto posteriore abiecit, vel lege coactus abiicere debuit. Sed varia illa impedimenta comicorum licentiae opposita, quae modo recognovimus, et singulorum hominum studia ad eam labefactandam collata, Cinesiae, Syracosii, Agyrrhii (cf. Meinek. l. l.), acerrimi etiam poetae audaciam infringere paullatim debebant, ita ut antiquum morem non quidem omnino desereret, sed tamen, quod in Pluto factum videmus, paullulum restringeret. Ad eandem rem non nihil etiam conferre potuit senectus: docuit enim hanc fabulam ultimam (cf. Argumentum Pluti et scholiastem ad v. 173.): atque senex humanus omnes doceri et delectari quam multos in se exacerbari malebat. Tertia causa, cur parcius in Pluto malos insectatus fuerit, ex rei publicae Athe-

niensium statu et conditione repetenda est. Nam etsi illo tempore homines erant nefarii ac turpi vivendi more infames, tamen nullus erat Cleon, nullus Cleophon, nullus Hyperbolus; caesus erat Alcibiades, caesus Critias, mortem obierat Euripides, tragoedia adeo a fastigio suo delapsa erat, ut ne dignum quidem putaret Aristophanes adulescentulos illos ad tragoediam vim suam accommodantes irridere.

Sed quoniam eorum facta est mentio, qui in Pluto notantur, nunc reliquos persequamur, et incipiamus a Patrocle, qui vv. 84. 85. irridetur. Plutus enim Chremylo interroganti, unde tam sordidus veniat, respondet:

ἐκ Πατροκλέους ἔρχομαι,
ὃς οὐκ ἐλούσατ' ἐξ ὅτου περ ἐγένετο.

Quibus verbis apparet istum ditissimum fuisse, quippe cuius domo Plutus veniat, simulque avarum et sordida vivendi ratione famosum. Cum his egregie consentiunt quae scholiastes de illo narravit, fuisse eum ex istorum numero, qui Laconicam vitam aemularentur, divitiis quidem maximis instructum, sed nihilominus parcissimum et sordido victu fruentem adeoque suspiciosum, ut nemini aditum ad se permiserit. In ceteris nostri poetae comoediis Patrocles non perstringitur; quam ob causam suspicor eo demum tempore, quo Plutus posterior docebatur, illum innotuisse: alioquin Aristophanes in aliis fabulis vix pepercisset homini, qui toto suo ingenio et vita comicorum iocos in se provocabat. Hos igitur versus Pluto priori defuisse iudico.

Nec minus Philepsium, pecuniae causa fabulantibus historias (λήρους) narrantem et propterea v. 177. irrisum, soli Pluto posteriori vindico, eodem fretus

argumento, quo antea Pamphilum et Belonopolem accusatum in Pluti secundae demum emendatione irrisos esse statui. Cum enim in continua Carionis oratione (170–180.) quinque saltem versus (173. 176. 178. 179. 180.), ut ante demonstravi, in Pluto priore locum habere non potuerint, certum est eam totam secundae Pluti editioni accessisse.

Versu 550. notatur Dionysius, ut qui patriam suam crudeli tyranni imperio oppresserit, eique opponitur Thrasybulus, qui Athenas a triginta tyrannis liberaverit, Olymp. XCIII. 4. et XCIV. 1., quem versum Pluto priori defuisse vix est quod moneam. Qui abundat otio sive patientia, legat scholiastas ad hunc locum ineptissima somniantes.

Versu 602. Pauso, pictor pauperrimus, irridetur, quem iam in Pluto priore commemoratum esse non negaverim, cum Thesmophor. v. 949. Thesmophoria celebrare ciboque abstinere dicatur, atque in Acharn. v. 854. Pauso aliquis, quem tamen eundem fuisse cum nostro demonstrari nequit, ὁ παμπόνηρος appelletur: sed inde nemo colliget hunc versum Pluto posteriori defuisse.

Dexinicus *) autem, vv. 800. 801. descriptus, huic numero eximendus videtur: is enim non homo tum vivens, sed nomen ingeniose a poeta fictum videtur

*) Δεξίνικος recte ex melioribus libris receperunt nuperrimi Aristophanis editores, eamque scripturam confirmant illi grammatici, qui teste scholiaste imperatorem eum fuisse (οἱ δὲ στρατηγὸν φασι αὐτόν) dicebant, ex nominis forma haud dubie narratiunculam suam procudentes.

ad designandos eos, qui, cum bellaria inde ex scena inter spectatores spargerentur, cupidissimi ac rapacissimi essent tamque fortiter pugnarent, ut fere semper victoria rebusque expetitis potirentur.

Vs. 884. (885.) leviter notatur Eudemus, ut qui annulos arte magica consecratos et ad mala depellenda accommodatos venderet, eoque imperitam plebeculam falleret.

III.

De Pluto priore et posteriore.

Iam eo perducta est nostra disputatio, ut quaestio de Pluto priore et posteriore, non minus illa impedita veterum grammaticorum et recentiorum criticorum erroribus, paucis possit absolvi. Bis Plutum fabulam ab Aristophane scriptam et doctam esse testatur scholiastes ad v. 173., ubi Plutum posteriorem narrat datam esse archonte Antipatro, h. e. Olymp. XCVII. 4., viginti annis post priorem s. archontem Dioclem, h. e. Olymp. XCII. 4.*). Cf. interpretes ad h. l. Plutum priorem et posteriorem agnoscit etiam Anonymus Kusteri p. XIV., cum cantica illa, ut supra vidimus, ad tuendam fabulae oeconomiam interposita, Pluto posteriori adie-

---

δῆλον δὲ ἐκ τοῦ ἐν δευτέρῳ φέρεσθαι, ὅς ἔσχατος ἐδιδάχθη ὑπ' αὐτοῦ εἰκοστῷ ἔτει ὕστερον. — Κορινθιακὸς πόλεμος συνέστη τρισὶν ἢ τέτρασιν ἔτεσι πρότερον τοῦ Ἀντιπάτρου, ἐφ' οὗ ἐδιδάχθη (scil. Πλοῦτος δεύτερος), καὶ τὸ συμμαχικὸν ἐπανήθροιστο ἐν Κορίνθῳ, τὸ δὲ Λακεδαιμονικὸν ἐν Σικυῶνι.

cisse Aristophanem tradat: *Πάλιν δὲ—τὸν Πλοῦτον γράψας—ἐπιγράφει Χοροῦ*, unde colligi potest Plutum priorem iustum habuisse chorum. Sed alii scholiastae Plutum priorem et posteriorem fuisse aut ignorarunt, aut non commemorandum putarunt: nam Graeci argumenti scriptor solam memorat secundam fabulam, archonte Antipatro doctam, cum Aristophane certantibus Nicochare Laconibus, Aristomene Admeto, Nicophonte Adonide, Alcaeo Pasiphaë. Sed scholiastes ad v. 179. secundae huius editionis nescius tantumque de priore, archonte Diocle in scenam commissa, edoctus offendit in illo versu, quem in Pluto priore locum habere non posse animadvertit quidem, sed, cum nihil de Pluto posteriore sciret, difficultatem solvere non potuit. Interpretabatur autem grammaticus ille nostrae fabulae, h. e. Pluti posterioris, versum, sed opinabatur se legere fabulam archonte Diocle actam; unde nullo modo colligendum est illum manibus suis trivisse Plutum priorem vel oculis conspexisse, quo errore se decipi passus est Hemsterhusius. Cf. ad v. 173. p. 53. v. 973. p. 341. Idem dici potest de scholiastae loco ad v. 972. (973). Neque vero hoc loco praetereunda est scholiastae ad v. 1146. (1147.) disputatio, in qua illustranda atque emendanda quamvis non sine laude versatus fuerit Hemsterhusius, minime tamen rem totam confecit nobisque supplendi quaedam praebuit occasionem. Cum Mercurius propter pristinam suam perfidiam a Carione servo contumeliose increparetur, ille rogat servum, ne praeterita sibi opprobrio faciat, si nunc felix factus fuerit, et hisce verbis:

μὴ μνησικακήσῃς, εἰ σὺ Φυλὴν κατέλαβες,

ad nobile Thrasybuli facinus respicit eoque summam Carionis felicitatem exprimit. Ad hunc locum scribit scholiastes: ὅτι μετὰ τὸ κατελθεῖν τοὺς μετὰ Θρασυβούλου Φυλὴν καταλαβόντας καὶ νικήσαντας ἐν Πειραιεῖ τοὺς τριάκοντα ψηφίσασθαι ἔδοξε μὴ μνησικακῆσαι ἀλλήλοις καθάπαξ τοὺς πολίτας, qua narratione vocis μνησικακήσῃς vim optime explicuit, cum Xenoph. Histor. Gr. II. 4. et Andocide Περὶ Μυστηρίων p. 39. 43. consentiens. Deinde sic disputare pergit: ἀλλὰ ταῦτά γε οὔπω ἐπέπρακτο, οὐδὲ τὸ ἐπὶ τριάκοντα ἤδη ἦν. Nescit igitur scholiastes, quomodo Thrasybuli facinus, quod cadit in Olymp. XCIV. 1. (cf. Hemsterh.), in Pluto (quippe de priore cogitat) commemorari possit. Huius difficultatis s. ἀπορίας duas in sequentibus proponit solutiones s. λύσεις, primam hanc: τοῦτο οὖν ἔοικέ τις ἐκ τοῦ δευτέρου Πλούτου μετενεγκὼν ἐνθάδε, ὀλιγωρῆσαι τῆς ἀλογίας ταύτης· alteram hanc: ἢ καὶ αὐτὸς ποιητὴς ὕστερον ἐνθεῖναι ἀπὸ τῶν συνθηκῶν τῶν Ἀθήνησι γενομένων πρὸς τοὺς καταλαβόντας (scil Φυλήν). Hic igitur grammaticus Plutum posteriorem fuisse sciebat, se autem interpretari Plutum priorem putabat, in quam aut alius aut ipse poeta versum ad res a Thrasybulo gestas respicientem postea intulerit. Itaque nostrae fabulae versum ille explicabat, et quod Plutum priorem se manibus tenere opinabatur, eo sé indoctum, quod rationem et causam, cur hicce versus adiectus fuerit, explicabat, eo ineptum se ostendit. Sed hisce illud satis certo conficitur, quod aliis praeterea indiciis mox probabitur, fuisse Pluti editionem primam et alteram: utram interpreta-

rentur scholiastae, ipsi ignorabant; omnes autem interpretati sunt nostram fabulam et nostrae fabulae locos. Cum igitur nihil expediant scholiastarum coniecturae, neque interpretum recentiorum hac de re sententiae, de quibus paullo post videbimus, sufficiant, ipse ostendere conabor Plutum fabulam, quam nos legimus esse posteriorem. Namque vidimus multa in nostra fabula reperiri, quae in Pluto priore dici non potuerint, et inde sequitur a nobis legi aut posteriorem, aut fabulam ex utraque, priore et posteriore, ab aliquo grammatico concinnatam. Sed hoc posterius non solum caret auctoritate, sed etiam omni probabilitate. Scire enim nemo et ne divinare quidem potest, quis fuerit ille grammaticus, quando vixerit, quibus rationibus adductus ad illam operam accesserit, qua denique ratione in suo instituto versatus fuerit. Deinde vel maxime mirandum esset, si quis alius, ex duabus Aristophanis comoediis unam conficiens, talem fabulam, qualis est Plutus, tam apte composuerit, ut nihil inepti nihilque repugnans in ea appareat. Hanc igitur coniecturam cum damnare utique opus sit, restat, ut Plutum nostram posteriorem esse statuamus: et hoc verum esse ex aliis quoque argumentis intelligitur, quae cum iam in iis, quae ante disputavi, contineantur, nunc in brevius contracta et sub unum quasi conspectum collecta repetamus. Vidimus in ipso Pluti argumento conspici mediae comoediae τύπον: is autem non convenit comoediae Aristophanis Olymp. XCII 4. doctae, h. e. Pluto priori, qua de re infra plura dicentur: vidimus chori partes nimium quantum esse concisas,

id quod accidere non poterat in fabula Olymp. XCII. 4. acta, quo tempore choregorum munus nondum erat sublatum: vidimus quoque chori munus singulare recitandi cantica illa, quae ad oeconomiam fabulae tuendam requirebantur; ea autem et grammaticus a nobis laudatus Pluto posteriori vindicavit, et res ipsa docet ea defuisse priori fabulae, quae iustum chorum habebat. Ostendimus parodiae genus singulare atque mediae comoediae proprium, quod quidem defuisse Pluto priori certissimis argumentis supra demonstravimus. Invenimus homines in nostra fabula parcius descriptos, idque magis convenit Pluto posteriori, h. e. mediae quam vocant comoediae fabulae, quam priori. Docuimus permultos nostri Pluti versus secundae demum eius emendationi accessisse, vv. 174—177. 179. 180. 290 — 321. 550. 665. 666. 716 — 726. 745 — 747. 1146. 1147. (1147. 1148.).

His argumentis adiungimus alia. Namque praeter versus modo laudatos de aliis quoque certum est, eos in sola fabula posteriore lectos fuisse; quos quidem breviter enumerabo. Versus 173.

τὸ δ' ἐν Κορίνθῳ ξενικὸν οὐχ οὗτος τρέφει;

respicit ad bellum ξυμμαχικὸν, inde ab Olymp. XCVI. 2. usque ad XCVIII. 2. gestum, est igitur Pluti posterioris. Versu 178.

ἡ ξυμμαχία δ' οὐ διὰ σὲ τοῖς Αἰγυπτίοις,

notatur foedus Atheniensium cum Aegyptiis pecuniae causa factum, quod miris erroribus et ineptiis scholiastae obscurarunt, et interpretum recentiorum nemo explicuit. Seditio Aegyptiaca exarsit ante id bellum,

quod contra Persas a Cypriis duce Evagora susceptum est. Cf. Isocrat. Paneg. p. 69. d. e. Bellum Cyprium fieri coepit Olymp. XCVIII. 3. (cf. Diodor. XV. c. 2.), et ante hoc iam tres per annos a Persis bellatum erat contra Aegyptios. Cf. Isocrat. l. l. Cadit igitur belli Aegyptiaci initium in Olymp. XCVII. 4., in quo gerendo Athenienses aere conductos Aegyptiis fuisse socios propter locum nostrum dubitari nequit, indeque simul apparet hunc versum esse Pluti posterioris. Versus 329—331. posteriori Pluto vindicandi sunt, cum in iis merces concionem adeuntium (μισθὸς ἐκκλησιαστικὸς), ad tres obolos aucta, commemoretur: aucta erat merces illa ex uno ad tres obolos non diu ante Ecclesiazusas, h. e. paullo ante Olymp. XCVI. 4. Cf. Boeckh. Oeconom. Athen. I. p. 247. Versus igitur allati in Pluto priore legi non poterant. Versum 515.

ἢ γῆς ἀρότροις ῥήξας δάπεδον καρπὸν Δηοῦς θερίσασθαι,

Pluti posterioris esse significavit scholiastes, ad verba καρπὸν Δηοῦς scribens, ἤδη τὸ ἔπος τοῦτο τῆς μέσης κωμῳδίας ὄζει, h. e. redolere vocem Δηὼ mediam comoediam; optime: nam neque in aliis Aristophanis fabulis, neque, quod sciam, in antiquae comoediae fragmentis illud nomen invenitur. Scholiastae mentem minus percepit, ut mihi quidem videtur, eruditissimus Meinekius II. p. 4., qui τὸ ἔπος τοῦτο non ad vocem Δηοῦς, sed ad totum versum retulit, et scholiastam grandiori sermone offensum esse dicit. Sed hoc ex illius verbis elici non potest; immo hoc affirmat scholiastes, antiquae comoediae

poetam dicturum fuisse Δήμητρος καρπὸν, sed recentiorum esse insolita deorum nomina arripere, quale sit Cereris nomen Δηώ. De v. 991. (992.)

ἵνα τοὐμὸν ἱμάτιον φορῶν μεμνῆτό μου,

in schol. Venet. ad Il. ψ. 361. haec leguntur: τὸ δὲ ἀνάλογον διὰ τοῦ η προσκειμένου *) τοῦ ῖ, παρ' Ἀριστοφάνει ἐν Πλούτῳ δευτέρῳ. Luculento igitur testimonio constat hunc versum Pluti posterioris fuisse, indeque idem de vv. 989. 990. 992., qui cum illo cohaerent, affirmare licet. Huius grammatici testimonio aliud non minus luculentum adiungo, videlicet Athenaei, IX. p. 368. d. ex Πλούτῳ δευτέρῳ versum

οἴμοι δὲ κωλῆς ἧς ἐγὼ κατήσθιον

laudantis; atqui hic versus legitur in nostra fabula 1128. (1129.). Esset egregium, si multos eiusmodi locos ex veteribus grammaticis afferre possem, idque praeclare sententiam meam comprobaret: sed hoc cum fieri nequeat, certe illud grave est, quod locus ex Πλούτῳ πρώτῳ a scholiaste ad Ran. 1120. (1125.) allatus in nostra fabula non reperitur. Locus hic est: τῶν λαμπαδηφόρων τε πλείστων αἰτίαν τοῖς ὑστάτοις πλατειῶν. Πλατεῖαι, scil. πληγαὶ, sunt verbera cum palma istis inflicta, qui in certamine cum facibus in Ceramico celebrari solito postremi ac tardiores currerent, quae alio nomine appellabantur Κεραμεικαὶ πληγαί. Cf. schol. ad l. l. Poterat hic prioris Pluti

*) Cod. exhibet προκειμένου, correxit Dobraeus.

locus inesse colloquio Chremyli et Blepsidemi cum Penia, ita ut alter senum Paupertati exprobraret, illam, cum privaret homines victu, causam esse (*αἰτίαν*), ut multi in certamine isto tardius currentes (*τῶν λαμπαδηφόρων ὕστατοι*) verberibus (*πλατείαις*) afficerentur. His rationibus tam certis et firmis accedit, quod, ut vidimus ad res posterioris Pluti tempore gestas saepissime respicitur; at vero eorum, quae Olymp. XCII. 4. agebantur, nihil in nostra fabula commemoratum inveneris: nihil de Alcibiade illa tempestate Atheniensium rebus misere afflictis succurrente atque egregie augente; nihil de aliis Atheniensium ducibus, Thrasylo, Theramene, Conone; nihil de Tissapherne et Pharnabazo Lacedaemonios adiuvantibus; nihil de classibus Lacedaemoniorum et Atheniensium in Hellesponto se invicem oppugnantibus; nihil de sublato imperio populi ac paullo post restituto; nihil de Callia divitiarum mole celebrato, sed circa hoc tempus luxuria et sycophantarum artibus ad paupertatem redacto; qui vir quam apte in hac fabula rideri potuerit, vel me non monente unusquisque videt.

Sed quoniam satis docuisse mihi videor nostram fabulam esse Plutum posteriorem: difficultatem quandam non celabo, eamque removere aut ita infirmare conabor, ut sententia mea per eam convelli non possit. Res haec est. Ad v. 115.

ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας,

scholiastes haec narravit: *ἰδίως δὲ ὀφθαλμίαν τὴν πήρωσίν φησι, διὸ καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ μεταπεποίηται·*

τῆς συμφορᾶς ταύτης σε παύσειν, ἢ σ᾽ἔχει *).

In priore igitur Pluto Aristophanes vocem ὀφθαλμία, h. e. malus oculorum affectus, contra vulgarem loquendi usum (ἰδίως) pro caecitate (πήρωσις) admiserat, in posteriore autem invidiosae illius vocis evitandae causa totum versum mutavit. Sed cur novus ille versus in nostra fabula, h. e. Pluto posteriore, non legitur? Annotatio illa facta est ab antiquissimo grammatico, vel potius ex eo exscripta, qui aut utramque Pluti editionem possidebat, aut, quod verisimilius est, utriusque fabulae collationem nonnullis in locis institutam legebat: is autem, cum hanc annotationem scriberet, versum illum, ut legebatur in Pluto priore, in exemplar suum recepit, ut annotationis verba ad marginem scripta statim melius intelligerentur, atque inde hunc prioris Pluti versum in libros nostros qui exhibent posteriorem irrepsisse coniicio.

Annotatio huic similis legitur in scholiis ad versum 119., qui ante Brunckium ex tribus antiquissimis editionibus, Aldina, Iuntina, Basileensi, ex libro Arundeliano omnibusque Brunckii codicibus sic scribebatur,

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ᾽ ἐμ᾽ εἰ
πύθοιτ᾽ ἂν ἐπιτρίψειε.

quod idem legebat primi ad hunc locum scholii auctor, et εἰδὼς secundus quoque scholiastes agnoscit,

---

*) versus vitium ἧς ἔχεις facillima et certissima emendatione sustulit Valckenarius. Cf. Dobraeus ad h. l.

in ceteris ab antecedente et libris discedens. Ad hunc igitur versum haec scripsit prior scholiastes: ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδώς· τὰ τούτων τῶν ἀνθρώπων πάντα εἰδώς, ἐπεὶ οὐδὲν λανθάνει· μεταπεποίηται δὲ καὶ τοῦτο ἐν τῷ δευτέρῳ. Falsa est scholiastae explicatio; si legimus εἰδὼς, hoc cum πύθοιτ᾽ unam efficere notionem statuendum est: *si Iuppiter horum stulta consilia perspiciens cognoverit, me contriverit.* Sed ea sententia et verborum collocatio cum parum probaretur ipsi poetae, prioris versus partem ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς in Pluto posteriore emendavit. At quomodo? hoc a grammatico nostro non edocemur: ipsi igitur videamus, num illam emendationem invenire possimus. In Brunckiani codicis margine libroque Ravennate pro εἰδὼς legitur οἶδ᾽ ὡς, quae scriptura, vulgatae nimium quantum praeferenda, a Brunckio et nuperrimis Aristophanis editoribus iure in textum recepta est: ea enim pro sententia obscura suppeditat facilem et lucidam, pro verborum structura intricata expeditissimam. Hoc autem ut efficeretur, propterea versum emendandum esse poeta censuit, alia enim nulla apparet causa: iam versus

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν εἰδὼς τὰ τούτων μῶρ᾽ ἔμ᾽ εἰ —

emendatione indigebat; hic autem

ὁ Ζεὺς μὲν οὖν οἶδ᾽ ὡς τὰ τούτων μῶρ᾽ ἔμ᾽ εἰ —

minime: qua de causa certissimum mihi videtur illam emendationem ab ipso poeta in secunda Pluti editione factam esse. In optimo igitur Aristophanicarum fabularum libro Pluti posterioris scriptura mansit, cum in ceteros istud εἰδὼς ex grammaticorum anno-

tationibus, ut supra exposui, reciperetur. Neque vero illi, quibus mea de his locis sententia parum probabilis videbitur, inde, quod in nostram fabulam casu quodam duo versus ex priore Pluto illati sunt, colligent Plutum nostram ex priore et posteriore mixtam esse, quemadmodum fecerunt illi viri, quorum de duplici Pluto sententias nunc breviter examinabo, ut error late disseminatus in perpetuum tollatur.

Ludolphus Kusterus, quod sciam, primus audacius et confidentius pronunciavit fabulam nostram ex Pluto priore et posteriore mixtam esse: qui error hunc in modum viro docto subnatus est. Recte quidem ille iudicabat nostram fabulam non esse Plutum priorem, cum in ea reperiantur notae quaedam temporis priori minime convenientes: sed quo minus posteriorem esse eam statueret, duo impediebant. Primum a Petito Legg. Att. p. 80. 81. (151. 152.) persuaderi sibi passus erat, eo tempore, quo Plutus iterum doceretur, lege ab Antimacho lata vetitum fuisse ὀνομαστὶ κωμῳδεῖν, et propterea eos locos, in quibus nominatim quidam perstringuntur, in Pluto posteriore locum habere non potuisse, sed ex priore in nostram translatos esse statuebat; deinde nimium tribuebat duobus scholiorum locis modo expositis. Secutus est Brunckius, qui insigni levitate ad v. 115. affirmavit: Plutum nostrum nec priorem esse neque posteriorem, sed e duobus a grammatico quodam vetustissimo concinnatum. Cuius sententiae rationes etsi non exposuit, dictu tamen non est difficile, quaenam illae fuerint.

Primum videlicet Kusteri iudicium incaute suum faciebat; tum vero, cum legisset apud grammaticos a nobis supra laudatos Plutum posteriorem chori canticis privatam esse (ὁ Πλοῦτος χορῶν ἐστέρηται), et nihilo minus in nostra fabula chori partes extare videret, eas ex Pluto priore sumtas existimabat. Cf. ad v. 960., ad quem scripsit: Haec ut pleraque huius dramatis manifesto sunt ex Pluto priore, in quo chorus suas agebat partes. Sed iam ante Brunckium tum de Pluto tum eius scholiis egregie meritus erat Tiberius Hemsterhusius: qui quidem sibimet ipsi de hac quaestione nondum satis constare, partim vero falsa de ea cogitasse et multis locis ostendit et p. 39. sq. his verbis pronunciavit: De duplici vero Pluto et scholiis ad utramque fabulae editionem diversis, quia res est paullo difficilior nodoque non uno intricata, alibi de industria agemus. Hoc nomen non solvit vir ingeniosus, idque, ut mihi quidem videtur, non magnopere dolendum est. Nam cum ille et ad priorem Plutum et ad posteriorem scholia exstare persuasissimum sibi haberet, sententiam Kusterianam sequi debebat; is enim, qui scholia utriusque fabulae, eademque ad nostram spectantia, mixta esse arbitratur, idem comoediam nostram ex utraque, priore et posteriore, conflatam existimare debet: quem quidem errorem iam ante satis notavi. Sed Hemsterhusius interdum ulterius est progressus, ita ut statueret inveniri scholia, quae nostram fabulam interpretari neutiquam possent, ideoque ad prioris Pluti

versus in nostram haud receptos referri deberent. Qua in re vehementer errasse virum eruditissimum duobus exemplis demonstrabo.

Ad v. 159.

ὀνόματι περιπέττουσι τὴν μοχθηρίαν.

haec scripsit scholiastes: Περιπέττουσι· διὰ τὸ τῷ προσθέτῳ κοσμεῖσθαι κόσμῳ· ὁ αὐτὸς Θεσμοφοριαζούσαις·

ὅσ' ἦν περίεργ' αὐταῖσι τῶν φορημάτων,
ὅσαις δὲ περιπέττουσιν αὐτὰς προσθέτοις. *)

Haec igitur verba quomodo ad Aristophanis versum explicandum apta essent, non intelligebat Hemsterhusius, et propterea p. 49. suspicatus est in prima Pluti editione aliud loco vocis ὀνόματι fuisse vocabulum, cui haec annotatio, ad primum Plutum pertinens, apte responderit. Sed tum saepius aliena a locis explicandis afferunt scholiastae, tum ab hoc vitio vacat noster grammaticus. Nam ille locutionem ὀνόματι περιπέττειν recte, licet parum accurate, interpretatur per προσθέτῳ κοσμεῖσθαι κόσμῳ, illud enim ὄνομα (verba inania) est κόσμος πρόσθετος. Versus autem ex Thesmophoriazusis (secundis) aptissime afferuntur propterea, quod inde statim perspicitur, quae sit propria verbi περιπέττειν, h. e. circumlinere, significatio, cum in Pluti loco idem verbum translatum sit. Alius est scholiorum locus

---

*) Ita locum foede corruptum et mutilum praeclare emendavit Porso, teste Dobraeo ad Plut. v. 159.

ad v. 521.

ἔμπορος ἥκων ἐκ Θετταλίας παρὰ πλείστων ἀνδραποδιστῶν.

hicce: *διαβάλλονται δὲ οἱ Θετταλοὶ ὡς ἀνδραποδισταὶ καὶ ἄπιστοι.* Inde Hemsterhusius p. 152. collegit scholiastem in exemplari suo Pluti prioris aut posterioris invenisse *παρ' ἀπίστων ἀνδραποδιστῶν*, idque Harius Ep. crit. p. 49., ut certissimam emendationem, reponendum putabat. Sed Aristophanes neque in priore Pluto nec posteriore talem sibilum, qualem efficiunt verba *παρ' ἀπίστων ἀνδραποδιστῶν*, qui ipsum quoque Hemsterhusium non fugit, admittere potuit. Neque vero scholiastae verba ostendunt eum alia legisse quam quae nobis libri omnes exhibent: is enim scholiastarum more non ea tantum attulit, quae ad explicanda poetae verba facerent (scil. diffamari Thessalos *ὡς ἀνδραποδιστὰς*), sed ea etiam, quae scire lectoris interesse iudicabat, diffamari eosdem *ὡς ἀπίστους*. Illud *διαβάλλονται* enim non ad hunc Aristophanis locum, sed in universum ad Thessalorum famam referri debet. Quae cum ita sint, et huius scholii auctor nostram fabulam interpretatus est. Horum virorum errores acceperunt et propagarunt ceteri huius fabulae interpretes, ex quibus unus Spanhemius verum pronunciavit, quamvis argumentis nixus parum idoneis. Vid. Beck. Commentar. p. 2.

IV.

De Pluto priore.

Neque grammaticorum neque scholiastarum ullus Plutum posteriorem prioris διασκευὴν appellavit; quod si factum esset, quis quaerat, num prior ac posterior eundem μῦθον s. argumentum habuerint? Illud enim per se constaret, utriusque comoediae argumentum unum idemque fuisse, et posteriorem fabulae emendationem tantum in singulis verbis, versibus, partibus rebusque scenicis a Pluto priore recessisse. Sed eiusmodi testimonium cum desit, coniecerit aliquis prioris ac posterioris fabulae nomen idem, argumentum vero diversum fuisse. Talem coniecturam quamvis non appellaverim absurdam, praesertim cum pecuniae cupiditates plurimis modis exagitari possint, veram tamen esse eam magnopere negaverim. Nam primum nullo constat exemplo comicos Athenienses in duabus comoediis, aut invicem se excipientibus et quasi perpetuis, aut plane diversis, simile argumentum pertractasse. Sed hoc cum fortasse levioris sit momenti, videamus alia. Scholiastae testimonio cum constet versum 115.

ταύτης ἀπαλλάξειν σε τῆς ὀφθαλμίας,

Pluti prioris fuisse, versus 114. et 116., cum illo artissime cohaerentes, priori non defuisse apparet. Erat igitur in priore nostrae fabulae editione, qui ad Plutum deum conversus magnifice gloriaretur et cum fastu promitteret se illi visum esse restituturum. Sed Plutus donum sibi oblatum despiciens recusabat versu 119., qui, ut testatur idem scholiastes, in fa-

bula priore legebatur. Quibus indiciis hoc efficitur, in priore Pluti editione, quemadmodum in nostra s. posteriore, incidisse quendam in deum Plutum et ad visum ei restituendum operam suam et consilium obtulisse; deum vero istud inceptum ut audacissimum improbumque reformidasse. Quam rem quamvis certis testimoniis persequi ulterius non possimus: nihilominus tamen, cum in utriusque fabulae initio tanta appareat similitudo, cumque istud inceptum, in quo tota fere nostra comoedia versatur, disertis verbis etiam in priore Pluto indicatum fuerit, nequit dubitari in illa quoque fabula oculorum malo Plutum esse liberatum, h. e. utriusque comoediae *μῦθον* persimilem, ac posteriorem fabulam prioris fuisse *διασκευὴν* s. retractationem. Huc accedit, quod locum, ex Pluto priore a schol. ad Ran. 1120. (1125.) servatum, ex Chremyli et Blepsidemi cum Paupertate colloquio desumtum esse probabiliter coniecisse mihi videor (p. 53.); quae coniectura si vera est, in Pluto priore, ut in posteriore s. nostra, apparebat Paupertas, novum illud inceptum Pluto restituendi visum prohibitura, a senibus autem illis contemta ac retrusa.

Sed quamvis utriusque fabulae argumentum perquam simile fuerit; confidenter tamen Plutum priorem affirmo a posteriore multum fuisse diversam; qua de re nunc explicatius dicam. Plutum priorem Aristophanes docuit Olymp. XCII. 4., quo tempore antiqua comoedia naturam suam et quasi *χαρακτῆρα* s. *τύπον* nondum abiecerat: nam Ranae, quam fabulam docuit tribus annis post, Olymp. XCIII. 3.,

utique ad antiquam comoediam referendae sunt, Cratinus quidem iam diu ante hoc tempus docuerat Ὀδυσσεῖς, fabulam mediae comoediae τύπῳ signatam; sed illam eo tempore scriptam esse, quo Atticorum comoedia Morychidis psephismate constricta teneretur, Olymp. LXXXV. 1 — 3., verissime coniecit Meinekius. Conf. quae disputavi p. 27. Crates quoque eo, quod conviciandi morem comoediae antiquae proprium mittebat, ad mediae comoediae formam et ingenium diu ante Aristophanem accesserat. Cf. Aristot. Poet. V. 5., de quo loco unice vera est Meinekii interpretatio, proposita illa Q. S. I. p. 26. Cratetem imitatus est Pherecrates, Aristophanis aequalis, teste Anonymo Kusteri p. XII., Lips. p. XXIX. Cf. Meinek. I. p. 26. 27. II. p. 32. Sed inde, quod Cratinus temporibus, Crates et Pherecrates natura sua ingenioque adducti id comoediae genus tentarunt, quod postea a mediae novaeque comoediae poetis excultum est, inde, inquam, nemo colligat Aristophanem quoque iam Olymp. XCII. 4. ad generalem vitae morumque descriptionem in Pluto priore operam suam contulisse, semel antiquae comoediae χαρακτῆρα deseruisse, et tum tribus annis post in Ranis ad morem antiquum redisse. Quae coniectura cum parum habeat probabilitatis, utique statuamus oportet Plutum priorem antiquae comoediae τύπῳ signatam fuisse. Ille τύπος s. χαρακτὴρ apparet, si fabulae argumentum spectaveris, tribus potissimum in rebus. Namque aut tota comoedia superstructa est rebus certis ex Atheniensium re publica vitaque communi sumtis; aut vitia insignia, quibus laborabat

quodam tempore tota fere civitas, in singulis hominibus, in quibus illa maxime conspiciebantur, describuntur; aut eiusmodi vitia per homines ab ipso poëta procusos repraesentantur. Hoc ultimum genus iam accedit ad multas mediae novaeque comoediae fabulas, sed eo tamen ab illis differt, quod semper respicit ad res veras, h. e. ad vitia omnibus perspicua, certo quodam tempore obtinentia totamque civitatem vexantia: media autem comoedia ad *μῦθον* ipsum, sive a poeta inventum sive ex mythologia desumtum, artificiose et copiose pertractandum operam suam accommodavit. Conf. quae in antecedentibus (p. 9.) hac de re disputavi. Prior igitur Plutus cum antiquae comoediae vindicanda sit, quomodo eius *τύπον* repraesentaverit, quaeritur. Num homines tum viventes in ea notabantur? Id quaerere prorsus est otiosum atque inutile, cum ipsa fabula non exstet. Sed eius argumentum cum minime sit dubium obscurumque, inquirere licet, qua ratione factum sit, ut Aristophanes eiusmodi fabulam doceret. In priore Pluti editione ut in nostra eo omnia recurrebant, ut Plutus caecitate liberaretur, eaque liberatus iustis hominibus divitias daret, iniustis adimeret: quod inceptum ex rebus illo tempore gestis haustum eisque quasi superstructum esse nunc ostendere conabor.

Anno belli Peloponnesiaci vicesimo, sive Olymp. XCII. 1., Lacedaemonii Alcibiade potissimum auctore cum Tissapherne ac Persarum rege foedus sanxerunt (Thucyd. VIII. 18.), eo consilio, ut Persarum pecunia navibusque adiuti Atheniensium classes profligarent: quae quidem res satis feliciter illis cessit.

Thucyd. VIII. 28. 29. 36. Sed non multo post, cum Alcibiades in Lacedaemoniorum venisset suspicionem, is Tissapherni persuasit, ut Peloponnesiis parcius solveret pecunias, eorumque res maritimas suo aere auctas rursus infringeret. Thucyd. VIII. 45. 46. Plutarch. Alcib. c. 25. Contra cum Atheniensibus in gratiam redire se cupere amicis suis in exercitu Atheniensi ad Samum commorantibus dicebat; et, quo facilius a civibus suis exilio liberaretur, Tissaphernis auxilium se auctore Lacedaemoniis non solum ereptum iri, sed fore etiam, ut eiusdem naves et regis Persarum immensae divitiae in Atheniensium usum et commodum concederent, verbis magnificis pollicebatur. Thucyd. VIII. 48. *ὑποτείνοντος αὐτοῦ* (Alcib.) *Τισσαφέρνην μὲν πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὶ βασιλέα φίλον ποιήσειν.* Alcibiadis amici militum animos huiuscemodi promissis excitabant: *ὅτι βασιλεὺς σφίσι φίλος ἔσοιτο καὶ χρήματα παρέξοι Ἀλκιβιάδου κατελθόντος.* Athenis cum innotesceret Alcibiadem moliri reditum in patriam, eamque Persarum auxilio et pecuniis conservandam atque a ferocibus Peloponnesiis defendendam in se suscipere, si populare imperium tolleretur: propter eam conditionem multi ira ardescebant, rem civitate indignam esse clamabant, alii Alcibiadem exilio liberari non posse dictitabant. Sed, ecce, Pisander, Alcibiadis amicus et adiutor, post multos clamores et concertationes acerrimum quemque interrogabat, num alia ratione urbem servare ab hostibusque defendere sciret. Cum omnes tacerent, unum Alcibiadem Peloponnesios victurum Persarumque divitias Atheniensibus

conciliaturum esse magno cum fastu pronuntiabat. Quam ob rem et milites Atheniensium ad Samum et populus in urbe laeta spe erecti adeo persuasum sibi habebant, sic tantum civitatis periculis atque ingentibus malis succurri posse, ut, cum Alcibiades operam suam tum demum praestare vellet, si populi imperium tolleretur, et quamvis ea conditio multum displiceret, tamen fieri permitterent, ut quadringentis viris summa rerum traderetur, spe*) *dulcissima potiundi Persarum pecunia* allecti. Thucyd. VIII. 53 — 70. Quo facto Alcibiades ab exercitu Samio arcessitus ac belli dux creatus (VIII. 81. 82.) apud milites omnia magna loquebatur, et plurima commoda a Tissapherne et Persis eis futura iactanter exponebat: *καὶ περὶ πολιτικῶν πολλὰ εἰπὼν ἐς ἐλπίδας αὐτοὺς οὐ σμικρὰς τῶν τε μελλόντων καθίστη, καὶ ὑπερβάλλων ἐμεγάλυνε τὴν ἑαυτοῦ δύναμιν παρὰ Τισσαφέρνει.* Usque adeo vana promissa cumulavit, ut ipsam Tissaphernis supellectilem militibus donatum iri pronuntiaret: *ὑπισχνεῖτο δ᾽οὖν τάδε μέγιστα ἐπικομπῶν ὁ Ἀλκιβιάδης, ὡς Τισσαφέρνης αὐτῷ ὑπεδέξατο ἦ μὲν, ἕως ἄν τι τῶν ἑαυτοῦ λείπηται — μὴ ἀπορήσειν αὐτοὺς τροφῆς, οὐδ᾽ ἢν δέῃ τελευτῶντα τὴν ἑαυτοῦ στρωμνὴν ἐξαργυρίσαι.* Talia re vera even-

---

*) Thucyd. VIII. 48. *καὶ ὁ μὲν ὄχλος εἰ καί τι παραυτίκα ἤχθετο τοῖς πρασσομένοις, διὰ τὸ εὔπορον τῆς ἐλπίδος τοῦ παρὰ βασιλέως μισθοῦ ἡσύχαζεν.* VIII. 54. *ὁ δὲ δῆμος τὸ μὲν πρῶτον ἀκούων χαλεπῶς ἔφερε τὸ περὶ τῆς ὀλιγαρχίας· σαφῶς δὲ διδασκόμενος ὑπὸ τοῦ Πεισάνδρου μὴ εἶναι ἄλλην σωτηρίαν, — ἐνέδωκε.*

tura esse non solum Atheniensium milites populusque credebant, sed idem ne accideret etiam Lacedaemonii timebant. Thucyd. VIII. 83. Haec acta sunt Olymp. XCII. 1. Cf. Poppo ad Thucyd. part. I. vol. II. p. 567 — 568. 583 — 585. Per totum hunc annum Alcibiades cives suos vanis promissis suspensos tenebat, et tamen ne hilum quidem proficiebat. Sed ut ne forte Athenienses spes suas abiicerent, Tissaphernem, qui Aspendum profectus erat, sequebatur, postquam maxima se apud illum effecturum esse militibus (c. 88.) persuaserat. Eandem de Alcibiade spem populus Atheniensis concepit (c. 89.), et propterea eum exilio liberavit c. 97. Sed Alcibiades sine ullo eventu Samum rediit (c. 108. cf. Poppo l. l. p. 586.) Olymp. XCII. 2., ac nihilo secius gloriabatur se auctore nunc multo magis quam ante Atheniensibus favere Tissaphernem. Eodem anno, cum Hegesandridam Lacedaemoniorum ducem navali proelio vicisset, rursus ad Tissaphernem profectus ab eo in vincula Sardibus coniicitur. Xenoph. Histor. Gr. I. 1. 9 — 10. Diebus triginta post inde elapsus, ab ipso Tissapherne se dimissum esse (Plutarch. Alcib. c. 28.) dicebat, eo haud dubie consilio, ne milites ista se adepturos esse diffiderent, propter quae Alcibiadem ducem creaverant, neve ipse propter vanas suas iactationes derideretur. Non multo post Lacedaemonios a Mindaro ductos in Hellesponto invasit prorsusque devicit. Xenoph. I. 1. 16 — 18. Haec acta sunt Olymp. XCII. 2. Cf. Dodwell. Annal. Xenoph. I. Anno sequente Alcibiades ad pecunias cogendas tendit Cyzicum, Proconnesum, Pe-

rinthum et Selymbriam (Xenoph. I. 1. 19—22.), quibus in locis cum magnum argenti pondus coegisset, Chrysopolin munivit, ibique portorium instituit ad pecunias navium ex Ponto navigantium accipiendas. Haec Olymp. XCII. 3. facta sunt. Anno sequenti Alcibiades Lampsacum munivit, Pharnabazum vicit, atque Persarum terram devastavit. Conf. Xenoph. I. 2. 15 — 17.

Breviter comprehendimus quae proximo, superiore ac tertio ante Pluti primam commissionem acta sunt, et vidimus totam Atheniensium civitatem ea spe occupatam et suspensam fuisse, fore ut Alcibiades Persarum pecunias Atheniensibus compararet; vidimus omnes omnia hoc tantum Alcibiadis conatu servari posse persuasissimum sibi habuisse; vidimus, quibus iactationibus et absurdis promissis Alcibiades eas spes foverit, qua ostentatione bona Atheniensibus futura ab illius amicis ad caelum usque elata fuerint, et quomodo a plebe, inaudita credere et sperare solita, ea omnia cupide arrepta sint. Sed non multo post apparuit Alcibiadem, quo maiora promitteret, eo minora, immo nihil efficere, sed tum rei publicae Atheniensium impudentissime illudere, tum suis tantum commodis consulere. Alcibiades autem, cum ipse intelligeret se apud Tissaphernem nihil effecturum esse, serio rem aggressus multis victoriis Athenienses nobilitavit, victoriisque reportatis ad pecunias cogendas naves dimisit (Xenoph. I. 1. 8, 12, 20, 21.), et propter pecuniam pugnas potissimum committendas esse dicebat. I. 1. 14. Sed illam insanam Atheniensium cupiditatem potiundi

Persarum pecunia iam sedecim annis ante in Acharnensibus salse irriserat Aristophanes: tum vero, cum Olymp. XCII. haec cupiditas omnes cives quasi pestis invasisset, cumque Alcibiades ea fretus toti Atheniensium rei publicae impudenter illusisset, eamque nutu suo diu traxisset, tum igitur absurdum illud studium ut notaret, poeta noster et rebus et temporibus provocabatur.

Quae cum ita sint, statuere inclinat animus, illa Alcibiadis absurda promissa et vanas iactationes de pecunia a Persis speranda, eiusque ad illud efficiendum conatus Atheniensiumque spes absurdas, Aristophani dedisse ansam describendi in Pluto priore hominem (Chremylum), qui, cupiditate pecuniae sibi aliisque egentibus parandae correptus, inauditum quoddam et insolitum efficere, h. e. Pluto visum restituere, conaretur.

Sed cur in Pluto inceptum istud Chremyli felicissimum eventum habet, cum Alcibiadis conatus a Tissapherne ac Persis repudiarentur? Parata est ad hanc quaestionem duplex responsio: nam in comoedia Aristophanis mire incepta fere semper bonum habent eventum, tum ut rei novitate delectentur ac teneantur spectatorum animi, tum ut eo magis appareat, quam absurda sint illa atque insana, quae aguntur: deinde huius eventus alia etiam causa excogitari potest. Alcibiades enim, quamvis civium militumque spes, quas excitaverat ac plurimum intenderat, non ea ratione expleret, qua promiserat, nihilo minus tamen rebus Atheniensium succurrebat, et victorias reportavit, et pecuniae, quam omnes vel

maxime concupiebant, magnam vim undique coegit. Itaque non solum inceptum illud Pluto visum restituendi, sed etiam felicem eius eventum rebus ex historia repetendis in Pluto priore superstructum fuisse existimo. Idem de prioris fabulae exitu, siquidem ille similis fuit ei, qui est in nostra, dici potest. Splendidis victoriis Atheniensium restituta res erat, gloria et existimatio recuperata. Iam omnes Alcibiadem cum immensa praeda redeuntem exspectabant, eaque civitatis thesaurum (Minervae ὀπισθόδομον) impletum iri plurimi haud dubie sperabant animoque praevidebant; id quod reapse fiebat, cum Alcibiades non multo post Athenas veniret. Plutarch. Alcib. c. 32. Aristophanes igitur hoc ipsum animo praeconcipiens vel aliorum spes adumbraturus Plutum in Minervae ὀπισθόδομον duci ibique consecrari finxit.

Neque vero obiiciat quisquam Alcibiadem in Pluto priore notari non potuisse, quia Chremylo seni stulto et rustico primae partes tributae fuerint, quae, si poeta ad Alcibiadem respicere voluisset, viro nobili atque robusto concedendae fuissent. Namque primo non constat fuisse in priore Pluto talem Chremylum, qualem in nostra fabula videmus; deinde, ut talis fuerit, eo minime labefactatur mea coniectura: Chremylo enim illo non solum Alcibiades repraesentabatur, ut qui inaudita polliceretur et conaretur, sed tota Atheniensium res publica, ad extremum rerum discrimen summumque in periculum perducta, opibus prorsus destituta et propterea debilis, decrepita ac magna pecuniae acquirendae

cupiditate correpta: quae cupiditas cum maxime invasisset imperitos, stolidos et iustitiam simulantes, Chremylus ipse est rusticus insipidus, qui mores suos integros ubique impudenter iactat.

Iam si perspectum fuerit Plutum priorem rebus ex illorum temporum historia repetendis superstructam fuisse: in nostra quoque fabula allusiones ad prioris tempus inveniri poterunt. Nam quamvis Plutus prior interciderit, ea tamen fabula haud dubie multis in locis etiam in secunda, quae non nova est comoedia, sed tantum prioris retractatio, perlucet. Alcibiadis igitur vana promissa verbaque grandia, cum insigni iactantia prolata, indicari videntur vv. 114—116., ubi Chremylus Plutum sic alloquitur:

οἶμαι γὰρ, οἶμαι, σὺν θεῷ δ' εἰρήσεται·
ταύτης ἀπαλλάξειν σὲ τῆς ὀφθαλμίας,
βλέψαι ποιήσας.

quorum versuum secundus cum Pluti prioris fuerit, ut ante vidimus, omnes tres artissime inter se cohaerentes ei non deerant. Idem coniici potest de vv. 216. 217.

ἐγὼ γὰρ, εὖ τοῦτ' ἴσθι, κἂν δῇ μ' ἀποθανεῖν,
αὐτὸς διαπράξω ταῦτα.

Ipse Persarum rex commemoratur, ut qui propter pecuniae multitudinem superbiat, v. 170.

Μέγας δὲ βασιλεὺς οὐχὶ διὰ τοῦτον κομᾷ;

In priore fabula ad istam civitatis conversionem, quam conditionem fecerat Alcibiades, qua Atheniensibus Persarum pecunias comparaturus esset, h. e. Pluto visum restitueret, haud dubie saepius poeta respexit, cum etiam in nostra fabula eius generis nonnulla reperiantur indicia, quamvis ita comparata,

ut etiam intelligi possint, cum ad eam rerum mutationem non referantur. Hoc enim res ipsa postulabat, cum Plutus posterior acta sit nulla Alcibiadis ratione habita. Ad rei publicae igitur conversionem in Pluto priore spectabant haec Chremyli ad Plutum verba v. 208 — 210.

ἐὰν γένῃ
ἀνὴρ πρόθυμος αὐτὸς εἰς τὰ πράγματα,
βλέποντ' ἀποδείξω σ' ὀξύτερον τοῦ Λυγκέως.

Quibus Pluti prioris*) spectatores hunc sensum non inepte subiicerent: si vos Athenienses ad res novas animum accommodaveritis, ego vos ditissimos faciam, cum illis, qui Plutum posteriorem spectarent, nihil eiusmodi in mentem veniret. Periculum quoque, subeundum illud, antequam summa compararetur felicitas, vv. 256. 348. 350 — 355., quod quidem in priore fabula multo apertius indicatum existimo, ad eandem rem spectasse coniicio. Alcibiadis socii amicique, qui civitatis convertendae auctores erant, haud dubie, cum de futura felicitate magna inter se loquerentur, sollicite simul difficultates et pericula commemorarunt, subeunda illa, priusquam eo redactae res essent, quo ipsi cum Alcibiade vellent. Luculentus hac de re locus est vv. 946 — 950., ubi haec minatur sycophanta:

---

*) Nulla est causa, cur hos versus Pluto priori defuisse statuamus, immo propter istam allusionem valde probabile est eos non defuisse.

τοῦτον τὸν ἰσχυρὸν θεὸν
ἐγὼ ποιήσω τήμερον δοῦναι δίκην,
ὅτιἤ καταλύει περιφανῶς εἷς ὢν μόνος
τὴν δημοκρατίαν, οὔτε τὴν βουλὴν πιθὼν,
τὴν τῶν πολιτῶν, οὔτε τὴν ἐκκλησίαν.

Quae cum spectatores in Pluto priore audirent, non poterant non referre ad ea, quae non multo ante acciderant, cum Alcibiade suadente, propter solam pecuniarum spem democratia Athenis tolleretur. Sed eadem in Pluto posteriore cum audirentur, nihil aliud in istis verbis intelligebant, nisi calumniatoris artificium odiosissima quaeque adversario suo exprobrantis. Qua propter versus transcriptos, quos Pluti priori non defuisse iudico, in posteriore mutandi vel omittendi nulla erat causa: sed idem locus utriusque tempore non eodem modo accipiebatur.

Sed quamvis Aristophanes in multis Pluti prioris locis ad Alcibiadis studia Persarum pecunia potiundi respexerit eaque irriserit: illum tamen a veritate multum aberrare puto, qui eum id egisse dicat, ut tantum Alcibiadis conatus et studia civibus suis ridenda proponeret. Is sane de Aristophanis ingenio arteque et Pluti prioris praestantia admodum contemte iudicaverit. Immo cum videret Aristophanes eam esse omnium persuasionem, pecunia tantum se ipsos civitatemque conservari atque contra Lacedaemonios defendi posse, eam igitur unice quaerendam, ei summopere studendum *): hanc fabulam scripsit, ut

*) Haec persuasio in nostra quoque fabula satis

ostenderet illud studium tum per se absurdum esse, tum id ipsum quod cuperent perniciosum. Illud prius tota fabula et consilii a Chremylo suscepti absurditate ostenditur; hoc posterius in Paupertatis oratione exponitur, quae quidem paullulum modo immutata etiam in Pluto prima fuisse videtur. Docetur ibi non in eo positas esse rei publicae fortunas, si cives quam ditissimi evaderent (509.), immo ea re omnia societatis vincula rumpi (510—516.), et totam vitae conditionem inverti (522—531.), et corporis valetudinem roburque infirmari (559—561.), et animum integrum corrumpi (567—570.): at vero paupertate, h. e. ea vitae conditione, quae rebus ad vivendum necessariis neque egeat neque abundet (553. 554.), artes exerceri (532—534.), morum integritatem et corporis valetudinem firmari et viros fortes ali (561. 563. 564.) et rem publicam iuste administrari (568.).

Easdem absurdas Atheniensium spes atque ineptam auro Persarum potiundi cupiditatem in fabula, *Πέρσαι* inscripta, perstrinxisse arbitror sive Pherecratem, sive qui alius hanc fabulam fecit: nam de eius scriptore ambigebatur iam Athenaei temporibus, qui eam aliquoties laudat his verbis: *Φερεκράτης ἢ ὁ πεποιηκὼς τοὺς εἰς αὐτὸν ἀναφερομένους Πέρσας.* Vid. III. p. 78. d. XI. p. 502. a. XV. p. 685. a. Schol. ad Ran. v. 364. Sed quisquis ille Persarum

aperte enunciata est vv. 184. 185.

κρατοῦσι γοῦν κἀν τοῖς πολέμοις ἑκάστοτε
ἐφ' οἷς ἂν οὗτος ἐπικαθέζηται μόνον.

Cf. 170. 183.

scriptor fuit, haud dubie, ut ex fragmentis elegantissimis apparet, antiquae comoediae poetis annumerandus est, atque Aristophanis Plutum imitandam ille sibi proposuit; Aristophanem enim illius imitatorem esse tum per se parum verisimile videtur, tum propterea statui non potest, quod in largissima scholiorum collectione nullum huius rei indicium invenitur. Huius igitur fabulae duo fragmenta, ceteris inde servatis multum praestantia, ad fidem dictis nostris faciendam huc transscribam. Primum legitur apud Athenaeum VI. p. 269. c. d. e.

Τίς δ' ἔσθ' ἡμῖν τῶν σῶν ἀροτῶν ἢ ζυγοποιῶν ἔτι χρεία,
ἢ δρεπανουργῶν ἢ χαλκοτύπων ἢ σπέρματος ἢ χαρακισμοῦ;
αὐτόματοι γὰρ διὰ τῶν τριόδων ποταμοὶ λιπαροῖς ἐπιπάστοις
ζωμοῦ μέλανος καὶ Ἀχιλλείοις μάζαις κοχυδοῦντες ἐπιβλὺξ
ἀπὸ τῶν πηγῶν τῶν τοῦ Πλούτου ῥεύσονται, σφῶν ἀρύτεσθαι.
Ὁ Ζεὺς δ' ὕων οἴνῳ καπνίᾳ κατὰ τοῦ κεράμου βαλανεύσει,
ἀπὸ τῶν δὲ τεγῶν ὀχετοὶ βοτρύων μετὰ ναστίσκων πολυτύρων
ὀχετεύσονται θερμῷ σὺν ἔτνει καὶ λειριοπολφανεμώναις.
*τὰ δὲ δένδρ' ἡμῖν *) τἀν τοῖς ὄρεσιν χορδαῖς ὀπταῖς ἐριφείοις*

*) Recepi G. Dindorfii emendationem.

φυλλοροήσει καὶ τευθιδίοις ἁπαλοῖς κίχλαις τ' ἀναβράστοις.

Alloquitur aliquis, ut probabiliter coniicere licet, *Πενίαν*, quae cum haec fere dixisset, per ipsam aratores, iugorum falciumque artifices, fabros aerarios atque frumenti satores ad laborem sustinendum impelli, quod secus futurum esset, si Plutus se omnibus dedisset *), haec igitur cum Paupertas dixisset: eius adversarius respondet: quid nobis opus est aratoribus tuis, vel iugorum falciumque artificibus vel fabris aerariis, semine et agrorum circumvallatione? Sua sponte enim per trivia iuris nigri flumina, placentis pinguibus et mazis Achilleis affluenter redundantia, ex Pluti fontibus fluent. In sequentibus alia vitae commoda lepidissime describuntur. Pluti fontes in hoc fragmento ita commemorantur, ut inde omnia bona et summa vitae felicitas tamquam a deo fluviali affluerent; eos autem fontes eorumque deum in terram Persicam, h. e. in eam terram, in qua ingentes auri acervos servari credebatur, collocatos esse ab hoc poeta, ex fabulae nomine probabiliter colligi potest. Totus locus quodammodo similis est Aristophanico Pluti vv. 804 — 814., ita tamen, ut in hoc bona Pluto auctore iam allata memorentur, in Pherecrateo ut mox adventura describantur. Pherecratis Plutus non, ut Aristophanicus, senex sordidus et caecus, sed deus fuisse videtur de-

---

*) Cf. Plut. vv. 510 — 516. 525. 526. 532 — 534.

liciis luxuriaque diffluens: non enim dubito, quin fragmento, ex eadem fabula ab Athenaeo XV. p. 685. a. servato, ipse Plutus describatur. Locus hic est:

Ὦ μαλάχας μὲν ἐξερῶν, ἀναπνέων δ' ὑάκινθον,
καὶ μελιλώτινον λαλῶν καὶ ῥόδα προσσεσηρώς.
ὦ φιλῶν μὲν ἀμάρακον, προσκινῶν δὲ σέλινα,
γελῶν δ' ἱπποσέλινα καὶ κοσμοσάνδαλα βαίνων,
ἔγχει κἄπιβόα τρίτον Παιῶν', ὡς νόμος ἐστίν.

Deus ille, omnium bonorum auctor, malvas evomit, h. e. defluunt malvae eius ex ore, hyacinthum spirat, melilotinum loquitur, rosas subrìdet, amaracum osculatur, h. e. osculando creat, apium admovet (iis videlicet, ad quos accedit), ridet olus atrum et incedit cosmosandala, h. e. illo incedente flos cosmosandalum gignitur. Quod priore loco sperabant, fore ut omnia bona inde a Pluto redundarent, id hoc loco iam effectum esse significatur miro sane et cogitandi et dicendi modo, cui simile quidquam vix in Graecorum litteris inveniatur. In Persis igitur narrabatur, quomodo Plutus a Persis veniens admiranda bona afferret Atheniensibus, insolita et inaudita quaeque optare et sperare consuetis. Persarum scriptor, sive Pherecrates sive alius fuit, hanc fabulam ante Aristophanis Ranas (conf. schol. Aristoph. ad Ran. 364. s. 365.) docuit; imitatus est igitur Plutum priorem.

V.

De Pluto posteriore.

Iam dicendum est, cur Aristophanes Plutum viginti annis post primam eius commissionem iterum docendam putaverit. Pluribus quidem indiciis constat poetas comicos eas fere fabulas retractasse, quae in prima commissione minus fuerant probatae praemioque dignae iudicatae; eas iterum docuisse, quae maximo plausu exceptae erant. Sed neutrum de Pluto dici potest. Nam si poeta propterea, quod haec fabula aut ingenti favore audita, aut parum probata erat, eam retractandam suscepit: profecto mirum videtur ipsum post viginti demum annos huic operae manum admovisse. Sed aliae se offerunt causae, cur hanc fabulam iterum sibi docendam putaret. Primum enim, cum Olympiadis XCVII. an. 4. ipse docere fabulam vellet, aliique eius comoediam spectare cuperent, ac nova forte deesset: nulla ex fabulis suis iam editis Pluto aptior poetae visa est, quae illi tempori, quo quidem totum comoediae genus immutatum erat, facilius accommodaretur. Pluti enim μῦθος, quamvis in priore fabula ad res certas, ex Atheniensium vita sumtas, antiquae comoediae more spectasset, eiusmodi erat, ut quam facillime ad generalem vitae et morum descriptionem secundum illius temporis consuetudinem aptari posset. Accedebant alia. Magna pecuniae vis post viginti annos plurimis modis cognita erat: Lysander pecunia Persica bellum Peloponnesiacum finiverat, pecunia conducti illi decies mille Graecorum et potissimum

Lacedaemoniorum milites una cum clarissimo quoque Graeciae duce virisque prudentissimis Asiam peragraverant; pecuniae causa Agesilaus Asiae urbes invaserat diripueratque; pecunia Persarum adiutus Conon classem Peloponnesiacam ad Cnidum prostraverat murosque Athenarum restituerat; pecunia Persica permotae multae Graecorum gentes in Lacedaemonios conspirantes bellum Corinthiacum susceperant; pecuniae causa Athenienses cum Aegyptiis foedus fecerant; classes non civibus sed mercenariis et peregrinis pecunia conductis implebantur; pecunia exercitus terrestres conscribebantur et bella feliciter gerebantur. Quapropter hoc tempore verissime de Pluto dicere poterat Aristophanes

κρατοῦσι γοῦν κἂν τοῖς πολέμοις ἑκάστοτε
ἐφ᾽ οἷς ἂν οἶτος ἐπικαθέζηται μόνον.

Ea igitur vitia, quibus Pluti prioris tempore praecipue Athenienses laborabant, post viginti annos omnes Graecos occupaverant, Aristophanemque impellebant, ut hanc insanam pecuniae parandae cupiditatem iterum salse rideret atque doceret paupertatem et continentiam longe praeferendam esse immensae divitiarum moli, rerumque omnium abundantiam non tam singulis civibus studiose quaerendam esse, quam totius civitatis opulentiae prospiciendum.

E r r a t a.

Pag.	9.	vers.	2.	lege	ὑποθέσεις.
—	10.	—	2.	—	παλαιᾷ.
—	13.	not.		—	τῷ.
—	25.	vers.	1.	—	atque.
—	30.	—	30.	—	Ἀσκληπιόν.
—	31.	not.		—	perturbarunt.
—	36.	vers.	15.	—	ἐχορήγει.
—	41.	—	1.	—	post maris dele punctum.
—	46.	not.		—	ἔτεσι.

THESES CONTROVERSÆ

QUAS

UNA CUM DISSERTATIOE SUA

DE

ARISTOPHANIS PLUTO

AD CONSEQUENDOS AB ILLUSTRI IN LITTERARUM UNIVERSITATE RHENANA PHILOSOPHORUM ORDINE SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

DIE XXIII AUGUSTI MDCCCXXVIII

DEFENDET

FRANCISCUS RITTER

VESTFALUS SEMINARII REGII PHILOLOGICI SOCIUS

OPPONENTIBUS

ALOYSIO CAPELLMANNO } SEM. PHIL. SODALIBUS.
R. HENRICO KLAUSENO }
HENRICO REERSIO, PHIL. STUD.

THESES CONTROVERSAE.

I.

Philosophorum non fecerunt canonem grammatici Alexandrini, et recte quidem.

II.

Stoicorum secta ex temporibus orta est.

III.

Doriensium et Epicharmi comoedia Atticae multum postponenda est.

IV.

Cratinus in fabula Ὀδυσσεῖς *non irrisit Homerum.*

V.

Quae de Archilochi genere, moribus vitaeque conditione narrantur, hausta sunt ea ex ipsius carminibus male intellectis.

VI.

In Catulli carmine LI. qui intercidit versus adonicus hic fuit: V o c i s i n o r e.

VII.

Coquos insipide gloriantes Macedonum luxuria in comoediam intulit.

VIII.

Multa Xenophontis in patriam suam delicta Apollini Delphico tribuenda sunt.

IX.

Nova comoedia homines vitae simillimos, antiqua et simillimos et dissimillimos describebat.

X.

Chromius Nemea a Pindaro Nem. I. celebrata ipse vicit.

XI.

In eodem carmine ne levissimum quidem exstat indicium, id Aetnae cantatum, vel Chromium post victoriam Aetnaeum recitatum esse.

XII.

Cicero Or. 56, 190., ubi vituperat Hieronymum Peripateticum, reprehendentem Isocratem, et ipse reprehendendus est.

VITA SCRIPTORIS.

Nato mihi Medebachii in Vestfalis anno 1804. a prima inde aetate tam iniqua fuerunt tempora, ut, qui patrem Franciscum Ritterum, civem Medebachensem, matura morte exstinctum vix oculis meis videram, matrem etiam Margaretham Kleinpaul non multo post vita perfunctam deplorarem. Qua rerum conditione cum patrii oppidi scholas per aliquot annos frequentassem, atque linguae Latinae rudimenta a sacerdote, viro optimo, edoctus essem, inter Gymnasii Arnsbergensis discipulos receptus sum atque non sine magno ibi praeceptorum favore ad eas litteras operam meam ingeniumque accommodavi, quibus animus puerorum in illis scholis ad humanitatem informari solet. Absolutis post sex annos Gymnasii studiis cum dignus essem iudicatus, cui testimonium primae classis daretur, anno 1824. almam hanc litterarum universitatem Rhenanam petii, philologiae studiis me dediturus. Relatus sum in numerum civium academicorum Rectore Magnifico A. Guilelmo a Schlegel, V. Cl., atque in Illustris philosophorum ordinis Album inscriptus Decano Spectabili C. D. a Münchhow, V. Cl. Ab illo inde tempore Heinrichium, V. Cl., per quadriennium fere audivi interpretantem antiquos scriptores, Homerum, Lycurgum, Persium, Juvenalem, Ciceronem, quibus lectionibus

quantum ego debeam, facile is expendet, qui viri praestantissimi eruditionem cum egregia illa iunctam docendi ratione vel leviter cognitam habet. Idem vir optimus, qua erat in me benevolentia et amore, in seminarium regium philologicum me recepit, cuius per biennium socius ordinarius fui. Naekium, V. Cl., tragicorum Graecorum principes, comicosque Aristophanem et Terentium exponentem atque seminarii philologici sodales recte interpretari scriptores classicos docentem me audisse gratissima et laetissima semper erit recordatio. In primis autem Welckerus, V. Cl., et ad suscipiendam et ad moderandam studiorum meorum rationem mihi princeps exstitit, cuius viri mihi amicissimi lectionibus de antiquitatibus Graecis, de historia Graecorum et Romanorum litteraria, de artium apud veteres historia, de mythologia Graecorum et Romanorum, de Sophoclis Antigona interfui eximia cum voluptate fructuque. Hüllmannum, V. Cl., de fontibus antiquae historiae disputantem regnique Borussici et medii aevi historiam luculente narrantem audivi. Ex A. Guilelmi a Schlegel, V. Cl., scholis de Propertio, Diesterwegii, V. Cl., de algebra et finitorum analysi, Delbrückii, V. Cl., de aesthetica, Diezii, V. Cl., de Dantio et Petrarca me profecisse multa libenter profiteor. Philosophiae nactus sum praeceptorem et doctrina nobilissimum et humanitate amabilem, Augustum Brandisium, cuius ex lectionibus de historia philosophiae veteris atque recentioris, de logica, metaphysica, religionis philosophia, quantos fructus perceperim, quantamque eiusdem viri benevolentiam expertus sim,

nulla unquam oblivio delebit. At vero felicem me possum praedicare propterea, quod studia mea in illud ceciderunt tempus, quo Niebuhrius, V. Ill., in hac Musarum sede Graecorum et Romanorum historiam, Romanas antiquitates, historiam antiquam, terrarum atque gentium veterum descriptionem tradidit, quarum lectionum vel unam praetermittere nefas duxissem.

Gedruckt bei C. F. Baaden in Bonn.